*Septuaginta duo millia hominum mortui ſunt propter elationem David, quando fecit populum numerari.* 2. *Reg.* 24. 1.

*Vir Dei, qui venit de Juda, & nuntiavit Jeroboam ſucceſſionem officiorum ſacerdotum eius, occiſus fuit a leone, eo quod contra imperium Domini comedit panem in domo cujuſdam Prophetæ.* 3. *Reg.* 13. 1. *per totum.*

*Quadraginta duo pueri a duobus urſis fuerunt lacerati, pro eo, quod illuſerant Eliſeo,* dicentes: Aſcende calve 4. *Reg.* 2. 23

*Si tam graviter punitum fuit Giezi peccatum, qui accepit munera a Naaman, ſatis et voluntarie data: quid erit de illis, qui accipiunt multa fraudulenter exacta, vel violenter extorta? Ibid.* 5. 21.

*Quia Ezechias oſtendit theſauros ſuos nuntiis regis Babylonis, amiſit eos; cum tamen illi de terra longinqua veniſſent, & videbatur, quod lætanter recipi debuiſſent. Ibid.* 20. 13. &c.

*Populum peculiarem & dilectum tradidit Dominus in manus Nabuchodonoſor: qui totam gentem crudeliter captivavit, ſanctam civitatem combuſſit, & templum deſtruxit. Ibid.* 25. 1

*Ozias rex Juda cœpit thuribulum, & more ſacerdotum voluit adolere incenſum, ſtatimque eſt orta lepra in fronte.* 2. *Paral.* 26. 16

Pro eo, quod elevatæ ſunt filiæ Sion, &c. *Iſa.* 3. 16. Et erit pro ſuavi odore fœtor — Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio, &c. v. 24

*Reges Babylonis filios Iſrael crudeliter tractaverunt, poſtea etiam ipſi cum inclyta civitate ſua fuerunt deſtructi, ſicut minabatur Dominus. Ibid.* 4. *per totum.* Jerem. 51. cap.

*Heliodorus fuit graviter flagellatus, eo quod viduarum & pupillorum depoſita voluit aſportare.* 2. Mach. 3. 11. &c.

*Antiochus rex fuit tam gravi plaga percuſſus,* ita ut de corpore impii vermes ſcaturirent; — odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur. *Ibid.* 9. 5. &c.

*Servum nequam, qui noluit dimittere conſervo centum denarios,* iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoad uſque redderet univerſum debitum. *Matth.* 18. 28

*Inutilem ſervum, qui traditum ſibi non curavit multiplicare talentum, præcepit Dominus illo, quod habuerat ſpoliari, & in tenebras exteriores ejici. Ibid.* 25. 28

*Fraus illa, quam commiſit Ananias, conſcia Saphira uxore ſua, gravi fuit ultione punita. Act.* 5. 1. &c.

Herodes, veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, &c. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus a vermibus, exſpiravit. *Ibid.* 21. 21

## TITULUS XXV.

### *Pœnitentia.*

#### *Pœnitentia & ſatisfactio pro peccatis.*

LAboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrimis meis ſtratum meum rigabo. *Pſalm.* 6. 7

Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. *Matth.* 3. 8

Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. *Luc.* 3. 8

Pœnitentiam (*inquit Petrus*) agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus Sancti. *Actor.* 2. 38

Pœnitentiam itaque age (*ait Petrus Simoni mago*) ab hac nequitia tua: & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. *Ibid.* 8. 22

Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur. 2. *Cor.* 7. 10

#### *Pœnitentia Sacramentum.*

AMen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. *Matt.* 18. 18

Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. *Joan.* 20. 22

Vade, oſtende te Sacerdoti. *Matth.* 8. 4

Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos. *Actor.* 19. 18

Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem. *Jacob.* 5. 16

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. 1. *Joan.* 1. 8

#### *Pœnitentia prædicatur.*

HÆc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra: & habitabo vobiſcum in loco iſto. *Jerem.* 7. 3

Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum. *Matth.* 3. 2. *Idem verbatim habetur* Cap. 4. 17. Marc. 1. 4. & 15

Et venit (*Joannes*) in omnem regionem Jordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum. *Luc.* 3. 3. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham, &c. *Ibid.* v. 8.

Dico



Dico vobis, Sed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. *Luc.* 13. 3

Quoniam ſic ſcriptum eſt: Et ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jeroſolyma. *Ibid.* 24. 46

Pœnitentiam (*inquit Petrus*) agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus Sancti. *Actor.* 2. 38

Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra, &c. *Ibid.* 3. 19

Pœnitentiam itaque age (*ait Petrus Simoni mago*) ab hac nequitia tua: & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. *Ibid.* 8. 22

Et tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. *Ibid.* 17. 30

*Paulus erat* teſtificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *Ibid.* 20. 21

Sed his qui ſunt Damaſci primum: & Jeroſolymis, & in omnem regionem Judææ, & gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. *Ibid.* 26. 20.

#### *Pœnitentia vera & non ficta, promiſſa eſt venia.*

ANima, quæ juraverit, & protulerit labiis ſuis, ut vel male quid faceret, vel bene, & id ipſum juramento firmaverit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato. *Lev.* 5. 4

Cumque quæſieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. *Deut.* 4. 29

Cum ergo venerint ſuper te omnes ſermones iſti, benedictio, ſive maledictio, quam propoſui in conſpectu tuo: & ductus pœnitudine cordis tui in univerſis gentibus, in quas diſperſerit te Dominus Deus tuus, & reverſus fueris ad eum, & obedieris ejus imperiis, ſicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, & in tota anima tua: reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, & miſerebitur tui. *Ibid.* 30. 1

Ait autem Samuel ad univerſam domum Iſrael, dicens: Si in toto cordo veſtro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtri, Baalim & Aſtaroth: & præparate corda veſtra Domino, & ſervite ei ſoli, & eruet vos de manu Philiſtiim. 1. *Reg.* 7. 3

Si fugerit tuus Iſrael inimicos ſuos, (quia peccaturus eſt tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo venerint, & oraverint, &c. exaudi in cælo, dimitte peccatum populi tui Iſrael, &c. 3. *Reg.* 8. 33. *uſque* 48.

Si clauſero cælum, & pluvia non fluxerit, & mandavero, & præcepero locuſtæ, & devoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: converſus autem populus meus, ſuper quos invocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit; & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam a viis ſuis peſſimis: & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum. 2. *Paral.* 7. 13. Cap. 12. 6

Cumque reverſi fuerint in anguſtia ſua ad Dominum Deum Iſrael, & quæſierint eum, reperient eum. 2. *Paral.* 15. 4

Ad regem autem (*Joſiam*) Juda, qui miſit vos (*Iſrael*) pro Domino deprecando, ſic loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Quoniam audiſti verba voluminis, atque emollitum eſt cor tuum, & humiliatus es in conſpectu Dei, ſuper his quæ dicta ſunt contra locum hunc, & habitatores Jeruſalem, reveritusque faciem meam, ſcidiſti veſtimenta tua, & fleviſti coram me: ego quoque exaudivi te, dicit Dominus. Jam enim colligam te ad patres tuos, & infereris in ſepulcrum tuum in pace: nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus ſum ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores ejus. *Ibid.* 34. 26

Cum tranſgreſſi fueritis, ego diſpergam vos in populos: & ſi revertamini ad me, & cuſtodiatis præcepta mea, & faciatis ea: etiamſi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi ut habitaret nomen meum ibi. 2. *Eſd.* 1. 8

Etiam ſi filii tui peccaverunt ei (*Deo*) & dimiſit eos in manu iniquitatis ſuæ: tu tamen ſi diluculo conſurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus: ſi mundus & rectus inceſſeris, ſtatim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum juſtitiæ tuæ in tantum ut ſi priora tua fuerint parva, & noviſſima tua multiplicentur nimis. *Job.* 8. 4

Si reverſus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. *Job* 22. 13

Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. *Prov.* 28. 13

Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi: Dixi: Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Pſalm.* 31. 5

Revertere ad Dominum, & avertere ab injuſtitia tua, & nimis odito execrationem, &c. &c. *Eccli.* 17. 23. Iſa. 31. 6

Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ob oculis meis: quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere: &c. *Iſa.* 1. 16

Propterea expectat Dominus ut miſereatur veſtri: & ideo exaltabitur parcens vobis: quia Deus judicii Dominus: beati omnes qui expectant eum. *Ibid.* 30. 18

Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te. *Ibid.* 44. 22

Convertimini ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non eſt alius. *Ibid.* 45. 22. Cap. 46. 8

Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. *Ibid.* 57. 7 Cap. 59. 20

Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem: --- ut conſolarer omnes lugentes: ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris, &c. *Ibid.* 61. 1 Luc. 4. 18

Revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. *Jerem.* 3. 1

Revertere averſatrix Iſrael, ait Dominus, & non avertam faciem meam a vobis: quia ſanctus ego ſum, dicit Dominus, & non iraſcar in perpetuum, &c. &c. *Ibid.* v. 12. In tempore illo vocabunt Jeruſalem ſolium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jeruſalem; & non ambulabunt poſt pravitatem cordis ſui peſſimi. Ib. v. 17. *Vide* verſ. 20

Si reverteris Iſrael, ait Dominus, ad me convertere: ſi abſtuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. *Ibid.* 4. 1

Lava a malitia cor tuum Jeruſalem, ut ſalva fias, &c. *Ibid.* v. 14

Et cum evulſero eos, convertar, & miſerebor eorum, & reducam eos, virum ad hereditatem ſuam, & virum in terram ſuam. Et erit, ſi eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo: Vivit Dominus --- ædificabuntur in medio populi mei. *Ibid.* 12. 15. *Vide &* c. 26. 13. Thren. 3. 40

Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam: (*Judæorum*) agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi ut facerem ei. *Jerem.* 18. 8. Cap. 29. 12. Cap. 36. 3

Audiens audivi Ephraim tranſmigrantem. Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus: converte me & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ, &c. *Ibid.* 31. 18

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam: vita vivet, & non morietur. *Ezech.* 18. 21. Et cum everterit ſe impius ab impietate ſua quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam: ipſe animam ſuam vivificabit. Ib. v. 27. Ezech. 14. 6. c. 18. 31

Si autem dixero impio: Morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato ſuo, feceritque judicium & juſtitiam, & pignus reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit, & in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injuſtum: vita vivet & non morietur. *Ibid.* 33. 14

Nunc ergo repellant procul fornicationem ſuam, & ruinas regum ſuorum a me: & habitabo in medio eorum ſemper. *Ibid.* 43. 9. *Vide* c. 33. v. 11. *&* 19. Dan. 4. 24

Convertere Iſrael ad Dominum Deum tuum; quoniam corruiſti in iniquitate tua. Tollite vobiſcum & convertimini ad Dominum: & dicite ei: Omne aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum noſtrorum --- Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſpontanee: quia averſus eſt furor meus ab eis, &c. *Oſee* 14. 2. Amos 5. 4

Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum: quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. *Joel.* 2. 12

Ne ſitis ſicut patres veſtri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum: Convertimini de viis veſtris malis, & de cogitationibus veſtris peſſimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. *Zach.* 1. 4

A diebus enim patrum veſtrorum receſſiſtis a legitimis meis, & non cuſtodiſtis. Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. *Malac.* 3. 7

Et convertimini, & videbitis quid ſit inter juſtum & impium: & inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei. *Ibid.* v. 18

Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. *Matt.* 3. 8. Luc. 3. 8. c. 4. 18

*Chriſtus dicit*: Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. *Luc.* 5. 32

Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei (*dicit filius prodigus*) Pater peccavi in cælum,



lum, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus; fac me ſicut unum de mercenariis tuis. *Luc.* 15. 18

Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra. *Act.* 3. 19. Cap. 26. 18. 20

*Pœnitentia agenda eſt dum ſani ſumus.*

REvertere ad Dominum & avertere ab injuſtitia tua, & nimis odito execrationem: & cognoſce juſtitias & judicia Dei, & ſta in ſorte propoſitionis, & orationis altiſſimi Dei *Eccli.* 17. 23

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & neceſſitatum paupertatis in die divitiarum. *Ibid.* 18. 25

*Pœnitentiæ veræ & non fictæ exempla.*

D*Ixerunt invicem fratres Joſephi*: Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus; idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio. *Gen.* 42. 21

Audienſque populus ſermonem hunc peſſimum, luxit: & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo. *Exod.* 33. 4

*Audiens populus filiorum Iſrael, Dominum eſſe iratum, propter murmurationes eorum*, luxit nimis, *& mane plus voluerunt facere, quam Dominus præciperet eis.* Num. 14. 39

*Ad vocem Angeli, improperantis populo peccanti beneficia Dei*, elevaverunt ipſi vocem ſuam, & fleverunt. *Judic.* 2. 4

Dixeruntque filii Iſrael ad Dominum (*poſtquam lapſi ſunt in idololatriam, & traditi ſunt Philiſthæis & Ammonitis*) Peccavimus, redde tu nobis, quidquid tibi placet: tantum nunc libera nos: *& projecerunt omnia idola, &c. Ibid.* 10. 15

Et dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris. 2. *Reg.* 12. 13

Percuſſit autem cor David eum, poſtquam numeratus eſt populus: & dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto: ſed precor Domine ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtulte egi nimis. *Ibid.* 14. 10. Dixitque David ad Dominum, cum vidiſſet Angelum cædentem populum: Ego ſum qui peccavi, ego inique egi: Iſti qui oves ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Ib. v. 17

Itaque cum audiſſet Achab ſermones iſtos (*ſcilicet comminationes Dei*) ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite. Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam Theſbiten, dicens: Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſſa, non inducam malum in diebus ejus. 3. *Reg.* 21. 27

Hæc dicit Dominus Iſrael (*ad Joſiam regem*) Pro eo quod audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino --- & ſcidiſti veſtimenta tua, & fleviſti coram me, & ego audivi, ait Dominus: idcirco colligam te ad Patres tuos, & colligeris in ſepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum. 4. *Reg.* 28. 18

Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos, *dicit Dominus, &c.* 2. *Paral.* 12. 7

Humiliatuſque eſt poſtea (*Ezechias*) eo quod exaltatum fuiſſet cor ejus, tam ipſe, quam habitatores Jeruſalem: & idcirco non venit ſuper eos ira Domini, in diebus Ezechiæ. *Ib.* 32. 26. *Vide &* Iſaiæ 38. 22

Qui (*Manaſſes*) poſtquam coanguſtatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum: & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum ſuorum. Deprecatuſque eſt eum, & obſecravit intente: & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jeruſalem in regnum ſuum; & cognovit Manaſſes quod Dominus ipſe eſſet Deus. *Ibid.* 33. 12

*Cunctus cætus Iſraelitarum collectus eſt ad Eſdram, & flentes multum dixerunt*: Nos prævaricati ſumus in Deum noſtrum, & duximus uxores alienigenas de populis terræ; & nunc ſi eſt pœnitentia in Iſrael ſuper hoc, *faciamus ſecundum legem Domini, &c. &c.* 1. *Eſd.* 10. 1. *totum caput.*

*Rurſus miſſus Jonas ad Ninivitas, prædicat civitatis ſubverſionem: illis autem ad Deum converſis, & magna pœnitentiæ ſigna oſtendentibus, parcit Dominus civitati. Jonæ* 3

Et clamavit omnis populus ad Dominum inſtantia magna, & humiliaverunt animas ſuas in jejuniis & orationibus, ipſi & mulieres eorum. Et induerunt ſe Sacerdotes ciliciis, & infantes proſtraverunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio: & clamaverunt ad Dominum Deum Iſrael unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & uxores eorum in diviſionem, & civitates eorum in exterminium, & ſancta eorum in pollutionem, & fierent opprobrium gentibus. *Judith.* 4. 8. *Vide &* cap. 7. 19. *item* 2. Machab. 10. 25

Et recordatus eſt Petrus verbi Jeſu, quod dixerat: Priuſquam gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, flevit amare. *Matt.* 26. 75. *Idem verbatim* Luc. 22. 62. Marc. 14. 72

Et ecce Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod (*Jeſus*) accubuiſſet in domo

Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrimis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & ungueuto ungebat. *Luc.* 7. 37. Et converſus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lacrimis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Ibid. v. 44. Matth. 26. 7

Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam: Pater peccavi in cælum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis. *Ibid.* 15. 18

Et Publicanus a longe ſtans, nolebat nec oculos ad cælum levare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. *Ibid.* 18. 13

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Ibid.* 19. 8

Et nos quidem juſte (*Latro bonus dixit ſocio*) nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali geſſit. *Ibid.* 23. 41

*Quærentibus quibusdam Judæis corde compunctis.* Quid faciemus viri fratres? *ait Petrus:* Pœnitentiam --- agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum, &c. *Actor.* 2. 37

Nunc gaudeo, (*iniquit Paulus*) --- quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis: Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. 2. *Corinth.* 7. 9

*Pœnitentium felicitas temporalis.*

A*Braha uxor a rege Abimelech tollitur, ſed Domini juſſu cum magnis donis intacta redditur; & Abraham orante ſalus domui regis reſtituitur. Geneſ.* 20. 2

*Maria ſoror Moyſis, Pœnitentiam agens de murmuratione contra fratrem, liberatur a lepra, & priore dono Prophetiæ decoratur. Num.* 12. 11

*Peccavit Aaron, quia non credidit Domino, dum ſimul cum fratre ſuo Moyſes juſſus eſt e petra aquam elicere, ſed poſt pœnitentiam a Deo eligitur in ſummum Sacerdotem. Ibid.* 20. 7

*Iſraelitæ, pœnitentiam agentes, contra ignitos ſerpentes remedium conſequuntur in ſerpente æneo, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur. Ibid.* 21. 6

*David, cum de peccato ſuo pœnitentiam egiſſet, ex ipſa Bethſabea, cum qua prius peccaverat, jam uxore genuit filium ſapientiſſimum & potentiſſimum Salomonem.* 2. *Reg.* 12

Cumque extendiſſet manum ſuam Angelus Domini ſuper Jeruſalem ut diſperderet eam, miſertus eſt Dominus ſuper afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum tuam. 2. *Reg.* 14. 16

*Achab, cum ob cædem innocentis Naboth et exterminium totius ſuæ domus ab Elia denuntiaretur, egit pœnitentiam,* operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite. *Dixit ergo Dominus ad Eliam:* Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſſa, non inducam malum in diebus ejus. 3. *Reg.* 21. 27

*Urbs Samaria a Syris obſeſſa, & ingenti fame oppreſſa, ob regis cilicio ſe induentis, & totius populi pœnitentiam, mirabiliter liberatur.* 1. *Reg. c.* 6. & 7

Pro eo --- (*inquit Dominus ad Joſiam, quod pœnitentiam egiſti,*) audivi (*te*), ait Dominus: --- idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris in ſepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum. *Ibid.* 22. 19

*Deus oratione placatus, ceſſare fecit peſtem grandem.* 1. *Par.* 21. 16

Cumque vidiſſet Dominus, quod humiliati eſſent, factus eſt ſermo Domini ad Semejam; dicens: Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, & non ſtillabit furor meus ſuper Jeruſalem per manum Seſac. 2. *Paral.* 12. 7

Humiliatuſque eſt poſtea (*rex Ezechias*) --- tam ipſe, quam habitatores Jeruſalem; & idirco non venit ſuper eos ira Domini in diebus Ezechiæ. *Ibid.* 32. 26

Machabæus autem & qui cum ipſo erant, appropinquante illo (*hoſtili exercitu*) deprecabantur Dominum, caput terra aſpergentes, lumboſque ciliciis præcincti: *ut ſibi propitius eſſet. Ob hanc pœnitentiam inſigni victoria contra hoſtes potiti ſunt, & miraculoſa.* 2. *Machab.* 10. 25

*Vidit Deus pœnitentiam Ninivitarum, & miſertus eſt ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. Jonæ* 3. 10

*Matthæus publicanus pœnitens fit Apoſtolus & Evangeliſta. Matth.* 9. 9

*Affirmat Chriſtus Dominus, quod majus gaudium ſit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia. Luc.* 15. 7

*Filius prodigus per pœnitentiam reverſus ad patrem, oſculo & convivio ab eodem excipitur. Ibid. v.* 20

*Zachæus publicanus & pœnitens, meretur Chriſtum Dominum hoſpitio excipere. Ibid.* 19. 1

*Latroni pœnitenti in cruce paradiſus a Chriſto promittitur. Ibid.* 13. 43

*Magdalenam pœnitentem Chriſtus facit ſuam diſcipulam, & ad ejus preces Lazarum a mortuis reſuſcitat; poſtea. Joan.* 11. 3

*illam Dominus prima ſui apparitione poſt reſurrectionem ſuam, multiſque aliis gratiis dignatur. Ibid.* 20. 11





*Petrus poſt trinam negationem pœnitens, princeps Apoſtolorum, & caput Eccleſiæ conſtituitur. Joan. cap.* 21. *v.* 15.

*Pœnitentiæ contemptus quam noxius. Dicta & Exempla.*

R*Ex & populus* ſubſannabant nuntios Dei, & parvi pendebant ſermones ejus, illudebantque Prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum ejus, & eſſet nulla curatio, &c. 2. *Paral.* 36. 23. & 16

*Neglecto Deo fruſtra ſe muniat Jeruſalem, &c. Iſa.* 22. 12.

*Dominus in Jeruſalem quærit virum juſtum, ut illi miſereatur; ſed tam plebs quam optimates in pravitatibus ſuis, & idololatria indurati ſunt, & effuſi, ideo comminatur eis vaſtationem, &c. Jere.* 5. *per totum. Vide & c.* 15. 7.

*Dum vellet ſanare Dominus Deus Iſrael, revelata eſt iniquitas ipſorum & noluerunt, &c. Oſeæ* 7

Percuſſi vos vento urente, & aurugine, & grandine omnia opera manuum veſtrarum: & non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus: *Aggæi* 2. 18. *idem* Amos. 4. 9

Tunc cœpit (*Jeſus*) exprobare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam: Væ tibi, &c. &c. *Matt.* 11. 20. *Idem* Luc. 10. 13

Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere a fornicatione ſua. Ecce mittam eam in lectum: & qui mœchatur cum ea, in tribulatione maxima erunt --- Et filios ejus interficiam in morte. *Apoc.* 2. 21

Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, *qui non pœnitentiam egerunt de operibus ſuis malis. Ibid.* 9. 18: *Vide & c.* 16. 9

*Pœnitentia dilata.*

E*Sau* abiit, parvi pendens, quod primogenita vendidiſſet, *ſed ut demum vidit, quod benedictio primogeniti data eſſet fratri ſuo Jacob, cum pœnituit, irrugiit clamore magno, ſed ſero nimis. Gen.* 25. 34. *c.* 27. 34. Hebr. 12. 17

*Pharao, licet decem horrendis plagis afflictus & admonitus, ſemper tamen in craſtinum diſtulit & promiſit dimiſſionem populi, ſed numquam: niſi poſt ultimam plagam dimiſit. Exod. c.* 8. *& ſeq.*

*Adonibezec numquam pœnituit, quod ſeptuaginta reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus ſub menſa ſua ciborum reliquias colligere coegiſſet, niſi poſtquam ipſi hæc pœna irrogata fuit. Judic.* 1. 6

*David poſtquam peccatis, novem menſibus impœnitens permanſit, & neque tunc cogitaſſet de pœnitentia, niſi Nathan Propheta per ſimilitudinem gravitatem peccati ſui propoſuiſſet.* 2. *Reg. c.* 11. & 12

*Antiochus nulla umquam pœnitentia fuit ductus, quod tot mala intulerit Judæis, niſi demum in morte; tunc enim primum exclamavit:* Nunc vero reminiſcor malorum, quæ feci in Jeruſalem, &c. *ſed vana, dilata hæc fuit pœnitentia. Mac.* 6. 12

*Petrus Simonem hortatur, ut pœnitentiam agat, & a Deo veniam roget; ſed Simon nil aliud agit & reſpondet, quam hoc: Actor.* 8. 22. Precamini vos pro me ad Dominum, &c. Ibid. 2. 24

*Pœnitentiæ ficta, falſa, & hypocritica exempla.*

D*Ixitque Cain ad Dominum: Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear. *Gen.* 4. 13

*Eſau pœnituit de peccato venditæ primogenituræ, ſed male; nam lacrimæ ejus non erant pœnitentiæ, ſed animi violenti, & indignationis internæ. Ibid.* 27. 38

*Pharao, plagis Dei in ipſum ſævientibus, dolet, & mira pollicetur: ſed ubi divina manus fit remiſſior, mutata ſententia relabitur, & denuo divinitus punitur. Exod. c.* 8. & 10

Dixitque Saul ad Samuelem: Peccavi, quia prævaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. 1. *Reg.* 15. 24. Peccavi, ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael, & revertere mecum, & adorem Dominum Deum tuum. *Ibid.* v. 30

Et levavit Saul vocem ſuam & flevit: dixitque ad David: Juſtior tu es quam ego: tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala, &c. *ſed vanam fuiſſe hanc pœnitentiam & dolorem Saul, oſtendit ſubſequens Davidis perſecutio pejor priore.* 1. *Reg.* 23. 18

Et ait rex (*Jeroboam*) ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut reſtituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, & reverſa eſt manus regis ad eum, & facta eſt ſicut prius fuerat, &c. &c. 3. *Reg.* 13. 6

Itaque cum audiſſet Achab (*Eliam plurima illi comminantem mala*) ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite. *Ibid.* 21. 27

Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. *Sapient.* 5. 2, 1. Mach. 6. 12

*Antiochus rex ſceleratiſſimus, cum ſub vitæ finem graviſſimas pœnas lueret ob afflictam a ſe Judæorum gentem, templum ſacrilege ſpoliatum, & cœleſtis Numinis contemptum, commiſſa quidem cognovit, deflevit, ac reſtituere promiſit; miſericordiam tamen non eſt conſecutus, quia tantum propter dolores, quibus torquebatur, pœnitentiam egit.* 2. *Mach.* 9. 12

*Judas proditor, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos,* dicens Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. *Sed mox abiit, & laqueo ſe ſuſpendit, quod evidens erat argumentum falſæ pœnitentiæ. Matt.* 27. 3

Tunc Simon, (*magus*) & ipſe credidit; & cum baptizatus eſſet, adhærebat Philippo. Videns etiam ſigna & virtutes maximas fieri, ſtupens admirabatur. *Actor.* 8. 13. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe, *dixit Petrus Simoni mago*. v. 23

Scitote enim quoniam & poſtea cupiens (*Eſau* Gen. 27. 34.) hereditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrimis inquiſiſſet eam. *Hebr.* 12. 17

*Pondus. Vide Menſura. Item Titulum Emere.*

*Precari. Vide Precatio.*

## TITULUS XXVI.

*Præceptum.*

*Præcepta divina, gratia juvante Dei, ſervari poſſunt. Vide Legis divinæ adimplendæ poſſibilitas.*

*Præcepta divina facilia.*

MAndatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, &c. Sed juxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. *Deut.* 30. 11. Ibid. v. 14

Judicia Domini vera --- deſiderabilia ſuper aurum --- Etenim ſervus tuus cuſtodit ea. *Pſ.* 18. 10

In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis. *Ibid.* 118. 14

Viam mandatorum tuorum cucurri. *Ibid.* v. 32

Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum. *Ibid.* v. 35

Et agnoſcent qui derelicti ſunt, quoniam nihil melius eſt, quam timor Dei: & nihil dulcius, quam reſpicere in mandatis Domini. *Eccli.* 23. 37

Sapiens non odit mandata & juſtitias, & non illidetur quaſi in procella navis. Homo ſenſatus credit legi Dei, & lex illi fidelis. *Ibid.* 33. 2

Tollite jugum meum ſuper vos --- Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. *Matt.* 11. 29

Hæc eſt enim caritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus: & mandata ejus gravia non ſunt. 1. *Joan.* 5. 3

*Utilia, quia per ipſa homo bene ordinatur in corde.*

LOquere filiis Iſrael --- ut faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vitas hyacinthinas: quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes, ſed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, ſintque ſancti Deo ſuo. *Num.* 15. 38

Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine, & oſtiis domus tuæ. *Deut.* 6. 6

Ponite hæc verba mea in cordibus & animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, &c. *Ibid.* 11. 18

Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus. *Pſal.* 118. 2

In corde meo abſcondi eloquia tua &c. *Ibid.* v. 11. In juſtificationibus tuis meditabor. v. 16

Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & cuſtodiam illam in toto corde meo. *Ibid.* v. 34

Niſi quod lex tua meditatio mea eſt --- In æternum non obliviſcar juſtificationes tuas. *Ibid.* v. 92

Quomodo dilexi legem tuam Domine. *Ibid.* v. 97

Mens juſti meditabitur obedientiam. *Prov.* 15. 28

Cogitatum tuum habe in præceptis Dei. *Eccli.* 6. 37. Pſalm. 1. 2

*Ore.*

ET erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monimentum ante oculos tuos, & ut lex Domini ſemper ſit in ore tuo. *Exod.* 13. 9

Docete filios veſtros ut illa meditentur. *Deut.* 11. 19

Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar. *Pſal.* 118. 46

Omnis enarratio tua in præceptis Altiſſimi. *Eccli.* 9. 23

*Opere.*

CUſtodite ergo, & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: ſed per viam quam præcepit Dominus Deus veſter, ambulabitis, ut vivatis, & bene ſit vobis, & protelentur dies in terra poſſeſſionis veſtræ. *Deut.* 5. 32

Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas. *Ibid.* 12. 32

Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. *Pſal.* 118. 4

Et levavi manus meas ad mandata tua, &c. *Ibid.* v. 48

Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua. *Ibid.* v. 60

Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas. *Ibid.* v. 112

Qui credit Deo, attendit mandatis. *Eccli.* 32. 28

*Per*



*Per illa plene remuneratur homo, nam conſequitur Dei familiaritatem.*

SI ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra. *Exod.* 19. 5

Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea. *Levit.* 26. 11

Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum: & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus. *Deut.* 30. 19

Quia mandatum lucerna eſt, & lex lux. *Prov.* 6. 23

Qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam: qui autem negligit viam ſuam, mortificabitur. *Ibid.* 19. 16

Deum time, & mandata ejus obſerva. *Eccleſ.* 12. 13

Cuſtoditio autem legum, conſummatio incorruptionis eſt. *Sap.* 6. 19

Quis enim permanſit in mandatis ejus & derelictus eſt? *Eccli.* 2. 12

Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. *Iſa.* 66. 2

Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene ſit vobis. *Jerem.* 7. 23

Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. *Joan.* 14. 13

*Corporis ſanitatem.*

COnſidera, quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum: ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & cuſtodias mandata illius, ac cæremonias atque judicia: & vivas atque multiplicet te, benedicatque tibi in Terra, ad quam ingredieris poſſidendam. *Deut.* 30. 15

Fili mi, ne obliviſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat. Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. *Prov.* 3. 1

Qui cuſtodit præceptum, non experietur quidquam mali. *Eccleſ.* 8. 5

Ejeci ergo eos de terra Ægypti, & eduxi eos in deſertum. Et dedi eis præcepta mea, & judicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo, vivet in eis. *Ezech.* 20. 10

*Prolis fecunditatem.*

REſpiciam vos, & creſcere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiſcum. *Levit.* 26. 9

Si poſtquam audieris hæc judicia, & cuſtodieris ea, & feceris, cuſtodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi --- & diliget te ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo & armentis, gregibus ovium tuarum, &c. *Deut.* 7. 12

Utinam attendiſſes mandata mea, &c. Et fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps uteri tui, ut lapilli ejus. *Iſa.* 48. 18

*Subſtantiæ temporalis Ubertatem.*

FAcite præcepta mea, & judicia cuſtodite, & implete ea; ut habitare poſſitis in terra, abſque ullo pavore, & gignat vobis humus fructus ſuos, quibus veſcamini uſque ad ſaturitatem, nullius impetum formidantes. *Levit.* 25. 18

Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus ſuis. Et terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem: & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & abſque pavore habitabitis in terra veſtra. *Ibid.* 26. 3

Comedetis vetuſtiſſima veterum, & vetera, novis ſupervenientibus, projicietis. *Ibid.* v. 10

Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque cuſtodias omnia mandata ejus -- faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quæ verſantur in terra. *Deut.* 28. 1

Pone theſaurum tuum in præceptis Altiſſimi, & proderit tibi magis quam aurum. *Eccli.* 29. 14

Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. *Iſa.* 1. 19

*Pacis firmitatem.*

DAbo pacem in finibus veſtris: dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas beſtias: & gladius non tranſibit terminos veſtros. Perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis. Perſequentur quinque de veſtris centum alienos, &c. *Levit.* 26. 6

Cuſtodi præcepta ejus atque mandata, quæ ego præcipio tibi: ut bene ſit tibi & filiis tuis poſt te, &c. *Deut.* 4. 40

Qui autem timet præceptum, in pace verſabitur. *Prov.* 13. 13

Pax multa diligentibus legem tuam. *Pſ.* 118. 165

Utinam attendiſſes mandata mea; facta fuiſſet ſicut flumen pax tua. *Iſa.* 48. 18

*Honoris celebritatem.*

REx *David inſtruens Salomonem filium ſuum poſt ſe regnaturum, dicebat*: Tunc enim proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata --- quæ præcepit Dominus Moyſi. 1. *Par.* 22. 13

*Ordinante Jojada Pontifice*, eduxerunt filium regis, & impoſuerunt ei diadema --- dederuntque

in

in manus ejus tenendam legem, & conſtituerunt eum regem. 2. *Par.* 23. 11

*Cyrus rex Perſarum, Gentilis, Monarcha totius mundi, non verecundabatur dicere :* præcepit mihi (*Deus cæli & terræ*) ut ædificarem ei domum in Jeruſalem. 1. *Eſdr.* 1. 2

Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. *Pſ.* 118. 6

In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. *Ibid. v.* 9

Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis : potens in terrà erit ſemen ejus, generatio rectorum benedicetur; gloria & divitiæ in domo ejus. *Ibid.* 111. 1

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum. *Eccli.* 10. 23

*Gloria perpetuitatem.*

PORtio mea in terra viventium. *Pſal.* 141. 6

Procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum, *dicens*: Magiſter bone quid faciam ut vitam æternam percipiam? Jeſus autem dixit ei: --- Præcepta noſti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falſum teſtimonium dixeris; Ne fraudem feceris. Honora patrem tuum, & matrem. At ille reſpondens, ait illi; Magiſter hæc omnia obſervavi a juventute mea. Jeſus autem intuitus eum, dilexit eum. *Marc.* 10. 17

Et ſcio, quia mandatum ejus vita æterna eſt. *Joan.* 12. 50

*Præcepta divina nobilia, ideo tranſgreſſores rigide puniuntur.*

P*Raceptum leve adimplendum dedit Dominus primo parenti*, dicens : Ex omni ligno paradiſi comede : de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. *Male tamen cuſtodivit, & gravem pœnam incurrit.* *Geneſ.* 2. 16

*Mandata Dei, licet videantur interdum eſſe de re parva, non tamen parva diligentia ſervanda ſunt, quia puniuntur graviter tranſgreſſores, unde dixit Adam* : In quocumque enim die comederis ex eo (*de ligno ſcientiæ boni & mali,*) morte morieris. *Ibid. v.* 17

Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me. *Exod.* 20. 5

Quod ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ſed ſpreveritis leges meas, & judicia mea contempſeritis --- ego quoque hæc faciam vobis: Viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore, qui conficiat oculos veſtros, atque conſumat animas veſtras. Fruſtra feretis ſementem, quæ ab hoſtibus devorabitur. *Levit.* 26. 14

Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubjiciemini his, qui oderunt vos. --- Sin autem nec ſic obedieritis mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplum, propter peccata veſtra, & conteram ſuperbiam duritiæ veſtræ. Daboque vobis cælum deſuper ſicut ferrum, & terram æneam. Conſumetur incaſſum labor veſter, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. *Ibid. v.* 17

Immittamque in vos beſtias agri, quæ conſumant vos, & pecora veſtra, & ad paucitatem cuncta redigant, deſertæque fiant viæ veſtræ --- Inducamque ſuper vos gladium ultorem fœderis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam peſtilentiam in medio veſtri, & trademini in manibus hoſtium. Poſtquam confregero baculum patris veſtri: ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus: & comedetis, & non ſaturabimini --- Ita ut comedatis carnes filiorum veſtrorum & filiarum veſtrarum. *Ibid. v.* 22

Quod ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut cuſtodias & facias omnia mandata ejus --- venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te. Maledictus eris in civitate, Maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & Maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventri tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum. Maledictus eris, ingrediens, & maledictus egrediens. *Deut.* 28. 15

Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos, quia os Domini locutum eſt. *Iſa.* 1. 20

Abjecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium ſancti Iſrael blaſphemaverunt. Ideo iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eum: & conturbati ſunt montes, &c. *Ibid.* 5. 24

Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis: quoniam non poſuiſtis ſuper cor. Ecce ego projiciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſollemnitatum veſtrarum, &c. *Malach.* 2. 2

*Saul ſignanter electus propter tranſgreſſionem mandati divini, irrevocabiliter eſt rejectus.* 1. *Reg.* 15. 12

*Æternaliter.*

MAledicti qui declinant a mandatis tuis. *Pſ.* 118. 21

Spreviſti omnes diſcedentes a judiciis tuis. *Ibid. v.* 118

Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio ejus execrabilis erit. *Prov.* 28. 9

Maledictus vir qui non audierit verba pacti hujus, quod præcepi patribus veſtris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti. *Jere.* 11. 3

Hæc



Hæc dicit Dominus; Super tribus ſceleribus Juda, & ſuper quatuor non convertam eum : eo quod abjecerit legem Domini, & mandata ejus non cuſtodierit. *Amos* 2. 4

Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum qui ſuper terram loquebatur: multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis avertimus. *Hebr.* 12. 25

*Præcepta Eccleſiæ in conſcientia, & ſub peccato obligant.*

QUi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *Matt.* 18. 17

Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria : ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato. *Actor.* 15. 28

*Paulus præcipiebat ubique cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum. Ibid. v.* 41

Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem adquirunt. *Rom.* 13. 2

Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. *Ibid. v.* 5

*Præcepta humana condigna reverenter ſunt obſervanda.*

PEr me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. *Prov.* 8. 15

Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias : Hæc dicit Dominus : Pro eo, quod obediſtis præcepto Jonadab patris veſtri, non deficiet vir de ſtirpe Jonadab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. *Jere.* 35. 18

Itaque fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram. 2. *Theſſ.* 2. 14

Perambulabat autem (*Paulus*) Syriam & Ciliciam, confirmans eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum. *Actor.* 15. 41

Cum autem (*Paulus & Thimotheus*) pertranſierunt civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus, qui erant Jeroſolymis. *Ibid.* 16. 4

*Indigna magnanimiter contemnenda.*

EO quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longe eſt a me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis: ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic --- peribit ſapientia a ſapientibus, &c. *Iſa.* 29. 13

Ipſe autem reſpondens ait ills : Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram. *Matt.* 15. 3

Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias, *ſupra* Iſaiæ, 29. 13. Populus hic, &c. Ibid. *v.* 7. Marc. 7. 6

Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. *Actor.* 5. 29

Quam ob cauſſam increpa illos dure: ut ſani ſint in fide, non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum, averſantium ſe a veritate. *Tit.* 1. 13

## T I T U L U S XXVII.

*Prædeſtinatio.*

*Prædeſtinatio divina imperſcrutabilis.*

QUi ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria. *Prov.* 25. 27

Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? *Sap.* 9. 13. Iſa. 40. 13. 1. Corinth. 2. 16

Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus. *Eccli.* 3. 22. Multos quoque ſupplantavit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum. v. 26

Nonne frater erat Eſau Jacob, dicit Dominus; Et dilexi Jacob, Eſau autem odio habui; *Malach.* 1. 2. *Vide &* Rom. 9. 13

Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi. *Matt.* 20. 16

O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut qui conſiliarius ejus fuit? *Rom.* 11. 33

*Irreprehenſibiles.*

FIgulus mollem terram premens, laborioſe fingit ad uſus noſtros unumquodque vas, & de eodem luto fingit quæ munda ſunt in uſum vaſa, & ſimiliter quæ his ſunt contraria: horum autem vaſorum quis ſit uſus, judex eſt figulus. *Sapien.* 15. 7

Non dicas, Deus me in errorem impulit; non enim ſunt ei neceſſarii homines impii. *Eccli.* 15. 12

Ex ipſis benedixit, & exaltavit, & ex his ſanctificavit, & ad ſe applicavit, & ex ipſis maledixit, & humiliavit, & convertit illos a ſeparatione ipſorum. Quaſi lutum figuli in manu ipſius, plaſmare illud, & diſponere. Omnes viæ ejus ſecundum diſpoſitionem ejus, ſic homo in manu illius qui ſe fecit. *Ibid.* 33. 12

Væ qui contradicit factori ſuo, teſta de ſamiis terræ. Numquid dicit lutum figulo ſuo: Quid facis? & opus tuum abſque manibus eſt. *Iſa.* 45. 9

Num-

Numquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere, domus Iſrael? ait Dominus, ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos eſtis in manu mea. *Jer.* 18. 6

Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis Filii ſui. *Rom.* 8. 29. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit. v. 30

Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit: Miſerebor cujus miſereor: & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. *Ibid.* 9. 14. Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur, ¿voluntati enim ejus quis reſiſtit? O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? Annon habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam. v. 19

Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ. *Epheſ.* 1. 5

In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea & fictilia: & quadam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit, &c. 2. *Tim.* 2. 20

Audientes autem Gentes gaviſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. *Actor.* 13. 48

*Prædicatores. Vide Concionatores.*

*Prædicatio Verbi Dei. Vide Verbum Dei prædicatum.*

*Præfecti. Vide Superiores & Paſtores, item Princeps,*

*Prælatus. Vide infra Titulum* Princeps.

## T I T U L U S XXVIII.

### *Præſentia Dei.*

*Cain ad patrandum fratricidium locum ſolitarium quærit quaſi Deus ubique præſens ibi eum non videret. Sed malo ſuo expertus eſt ſcelus ſuum a Deo fuiſſe viſum.* Gen. 4. 8

*Henoch fuit tam ſanctus, & placuit Deo, quia ambulavit cum Deo. Ibid.* 5. 22

*Sic etiam Noe vir juſtus atque perfectus cum Deo ambulavit; Et ſic etiam de Moyſe teſtatur Paulus Ibid.* 6. 9. inviſibilem enim (*Deum*) tamquam videns ſuſtinuit; *id eſt; ita Deum ſibi ſemper habuit præſentem, ac ſi oculis eum videret.* Hebr. 11. 27. *Vide & de Abraham* Gen. 17. 1

*Elias de ſe affirmat, quod ſemper in præſentia Dei verſetur, ait enim*: Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto. 3. *Reg.* 17. 1

Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam a dextris eſt mihi ne commovear. *Pſal.* 15. 8

Quo ibo a Spiritu tuo, *Deus*? & quo a facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi: Forſitan tenebræ conculcabunt me? & nox illuminatio mea in deliciis meis? quia tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur. Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. *Ibid.* 138. 7

*Duo ſenes Suſannam ad flagitium ſollicitant, quia Dei præſentiam e memoria excluſerunt; declinaverunt enim oculos ſuos, ut non viderent cælum, & dicunt ad Suſannam*: Nemo, (*ecce*) nos videt. *Dan.* 13. 20

*Econtra Suſanna graviſſimam tentationem vicit, memoria præſentiæ Dei roborata, reſpondit enim ſenibus*: Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini. *Ibid.* v. 23

Judas vero (*Machabæus*) & qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congreſſi ſunt (*cum hoſte*) manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes proſtraverunt non minus triginta quinque millia, præſentia Dei magnifice delectati. 2. *Machab.* 15. 26

*Chriſtus Dominus ante ſuam aſcenſionem in cælum, ut diſcipulis ſuis ſolatium ſimul & robur ad ſuſtinendos apoſtolicos labores relinqueret. ait illis*: Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi. *Matth.* 28. 20

## T I T U L U S XXIX.

### Precatio. *Vide & Oratio.*

### Precationum *variæ formulæ.*

N*uptiis benedicendi*: Imprecantes proſpera ſorori ſuæ (*ſponſæ*) atque dicentes: Soror noſtra es, creſcas in mille millia, & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. *Gen.* 24. 60

Reſpon-



Reſpondit omnis populus, qui erat in porta, & majores natu — Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel & Liam, quæ edificaverunt domum Iſrael: ut ſit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem: fiatque domus tua, ſicut domus Phares, quem Thamar peperit Judæ, de ſemine quod tibi dederit Dominus ex hac puella. *Ruth.* 4. 11

*Populo benedicendi*: Sic benedicetis, (*inquit Deus*) filiis Iſrael, & dicetis: Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. *Num.* 6. 23

*Regem conſecrandi*: Quomodo fuit Dominus cum Domino meo rege (*David*,) ſic ſit cum Salomone, & ſublimius faciat ſolium ejus a ſolio Domini mei regis David. 3. *Reg.* 1. 37

*Salutandi & bene precandi: Venit Booz de Bethlehem & dixit meſſoribus*: Dominus vobiſcum. Qui reſponderunt ei: Benedicat tibi Dominus. *Ruth.* 2. 4

## T I T U L U S XXX.

### *Primitiæ.*

### *Primitiæ fructuum debentur Deo ejusque Sacerdotibus.*

DEcimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere. *Exod.* 22. 29

Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. *Ibid.* 23. 19

Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. *Ibid.* 34. 26

Separate apud vos primitias Domino. *Ibid.* 35. 5

Loquere filiis Iſrael (*ait Dominus ad Moyſen*) & dices ad eos: Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum, primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem. *Levit.* 23. 10

Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Iſrael, ad ſacerdotem pertinent. *Num.* 5. 9

Locutuſque eſt Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum. Omnia quæ ſanctificantur a filiis Iſrael, tradidi tibi & filiis tuis pro officio ſacerdotali, &c. *Ibid.* 18 8. Deut. 12. 17

Univerſa frugum initia quæ gignit humus: & Domino deportantur, cedent in uſus tuos (*Loquitur Dominus ad Aaron*): qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis. *Ibid.* 18. 13

Primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ovium tonſione (*accipientes ſacerdotes ait Dominus.*) *Deut.* 28. 4

Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergeſque ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus. *Ibid.* 26. 2. *Formam oſtendit efferendi primitias.* v. 10

Quod cum percrebuiſſet (*ſcilicet quod Ezechias ſacerdotes & Levitas compoſuerit in ordinem miniſterii*) in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filii Iſrael frumenti, vini, & olei, mellis quoque, & omnium quæ gignit humus, decimas obtulerunt. 2. *Paral.* 31. 5. Ezech. 45. 13.

Et ut afferremus primogenita terræ noſtræ, & primitiva univerſi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini. 3. *Eſdr.* 10. 35. Et primitias ciborum noſtrorum, & libaminum noſtrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei afferemus ſacerdotibus ad gazophylacium Dei noſtri, & decimam partem terræ noſtræ Levitis, &c. v. 37

Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei: & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt. *Prov.* 3. 9

## T I T U L U S XXXI.

### *Primogenitum.*

### *Primogenitum omne Deo conſecratum.*

SAnctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Iſrael, tam de hominibus quam de jumentis: mea ſunt enim omnia. *Exod.* 13. 2

Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. *Ibid.* 22. 29

Primogenitum Aſini redimes ove: ſin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conſpectu meo vacuus. *Ibid.* 34. 20

Primogenita quæ ad Dominum pertinent, nemo ſanctificare poterit, & vovere: ſive bos, ſive ovis fuerit, Domini ſunt. *Levit.* 27. 26

Meum eſt enim omne primogenitum: ex quo percuſſi primogenitos in terra Ægypti, ſanctificavi mihi quidquid primum naſcitur in Iſrael: ab homine uſque ad pecus, mei ſunt: ego Dominus. *Num.* 3. 13

Mea ſunt enim omnia primogenita filiorum Iſrael, tam ex hominibus, quam ex jumentis. Ex die quo percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificavi eos mihi. *Ibid.* 8. 17

De primogenitis, quæ naſcuntur in armentis, & in ovibus tuis, quidquid eſt ſexus maſculini,

lini, ſanctificabis, Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita ovium. *Deut.* 15. 16. 1. Reg. 1. 24. Deut. 12. 17. Cap. 14. 23

Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur. *Luc.* 2. 23

## TITULUS XXXII.

### *Principes & Superiores boni.*

B*Onus Prælatus Moyſes multoties introivit ad Pharaonem pro cauſſa populi, ut eum liberaret de ſervitute Ægyptiaca. Exod. c. 6. & 7. &c.*

*Populum timentem Moyſes confortabat, dicens:* Nolite timere, &c. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. *Ore quidem verba dicebat, ſed corde Dominum exorabat: uti patet ex contextu. Ibid.* 14. 13

*Clamabat pro populo ad Dominum Moyſes, quando murmurabat populus contra eum. Ibid.* 15. 24. Cap. 32. 11

*Cum pugnaret Iſrael contra Amalec, non ivit Moyſes ad prælium, ſed tantum ſtans in vertice collium, ad orandum Dominum ſe convertit. Ibid.* 17. 9

*Receſſurus a populo Moyſes, & iturus ad montem: bonos vicarios reliquit, videlicet Aaron & Hur. Ibid.* 24. 14

*Deſiderabat Moyſes ut omnes de populo prophetarent, licet honor ſuus minui videretur. Num.* 11. 17

*Poſt reditum exploratorum dixit Dominus ad Moyſen: Quouſque detrahet mihi populus iſte?* Feriam igitur eos peſtilentia —. te autem faciam principem ſuper gentem magnam, & fortiorem, quam hæc eſt: *ſed noluit Moyſes ad Majorem transferri Prælationem. Ibid.* 14. 12

*Pereunte populo pro murmure & tumultu, quem faciebant contra Moyſen & Aaron,* dixit Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergens cito ad populum ut roges pro eis. *Ibid.* 16. 46

*Moriturus Moyſes ſolicite rogavit Dominum, ut populo de duce idoneo provideret. Ibid.* 27. 15

Servivitque Iſrael Domino cunctis diebus Joſue, &c. *bonus enim Prælatus & Princeps multum confert ad populum in via Domini dirigendum. Joſue* 24. 31

*Samuel judicabat Iſrael, & ibat circuiens Bethel, & Galgala, & Maſphat, ut homines, qui eo indigebant, facilius poſſent ad ipſum habere acceſſum.* 1. *Reg.* 7. 15. *Vide totum caput.*

*Dixit Samuel ad populum:* Abſit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut ceſſem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam. *Ibid.* 12. 23

*Videns David Angelum percutientem populum, obtulit ſe pro eo percutiendum:* Vertatur, *inquit*, obſecro, manus tua contra me, &c. 2. *Reg.* 24. 17

Audivit itaque omnis Iſrael judicium, quod judicaſſet rex (*Salomon de duabus mulieribus,*) & timuerunt regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo. 3. *Reg.* 3. 28

*Ezechias rex Juda fecit ſerpentem æneum confringi, eo quod eſſet populo idololatrandi occaſio.* 4. *Reg.* 18. 4.

*Signum eſt quod Dominus diligit populum, quando dat ei bonum Prælatum: unde regina Saba dixit:* Quia diligit Deus Iſrael (*populum ſuum*), — idcirco poſuit te ſuper eum Regem ut facias judicia atque juſtitiam. 2. *Paral.* 9. 8

*Joſaphat rex Juda conſtituit Judices ſuper populum, & eos valde fideliter & prudenter inſtruxit:* Videte, ait, quod faciatis, &c. *Ibid.* 19. 5

Orante Eſdra — & flente — (*pro trangreſſione populi*) collectus eſt ad eum de Iſrael cœtus magnus virorum & mulierum grandis nimis, & flevit populus multo fletu (*ad exemplum ejus*). 1. *Eſdr.* 10. 1

*Audita Holofernis potentia,* Eliachim — ſacerdos Domini magnus circuivit omnem Iſrael, allocutuſque eos, dicens: Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces noſtras, ſi &c. (*ſicque populum bonis exhortationibus confortabat.*). *Judith.* 4. 11

*Bonus Princeps ſive Prælatus debet eſſe quaſi bonus pater populi ſui, hinc dicit Iſaias:* erit quaſi pater habitantibus Jeruſalem, & domui Juda. *Iſa.* 22. *v.* 21

### *Principis ſeu Prælati boni requiſita in Paulo ſe manifeſtant.*

A*D bonum Prælatum ſpecialiter & ſumme pertinet dilectio, quam habere debet ad ſubditos, ſicut diligebat paſtor ille optimus, Princeps Paſtorum, qui poſuit animam ſuam pro ovibus,* 2. *Cor.* 12. 15. *Sic etiam Paulus miro modo ea dilectione fervebat; unde dicebat* Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris: licet plus vos diligens, minus diligar (*a vobis*). Joan. 10. 11 *Vide &* ad Philippenſes. 4. 1. Fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea, &c.

*Vero debet in Prælato eſſe Scientia Scripturæ, &c. hinc dicit Sapiens* 1. *Cor.* 3. 2. Diligite lumen ſapientiæ, *quod proſit populis: alloquin quomodo poſſet lepram a non lepra diſcernere, vel commiſſum ſibi populum judicare? Ipſe vero Paulus de divinis & humanis excellentiſſimam habebat cognitionem, qui parvulis in Chriſto lac potum dabat, & inter perfectos ſapientiam loquebatur. &c. cap.* 6. 23. 1. Cor. 1. 2

*Ex amore vero ſubditorum, & notitia Scripturarum, ſolicitudo in præſidente provenit, qui præeſt in ſolicitudine. Qua quidem ſolicitudine Paulus erga proximos ardentiſſime fungebatur, propter quod*



*quod ait* 2. Corinth. 11. 28. Præter illa, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. *Item alibi:* Volo enim vos ſcire qualem ſolicitudinem habeam pro vobis. Coloſſ. c. 2. v. 1

*Ex prædictis tribus debet ſequi inſtructio imperitorum; unde promittit Dominus hic:* Et dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina. *Jere.* 3. 15. *& juxta id, quod dixit Artaxerxes Eſdræ & judicibus populi:* imperitos docete libere. 1. Eſdr. 7. 25. *Et hoc profecto liquet feciſſe Paulum doctorem gentium, qui verbo vel ſcripto docuit univerſum mundum.* Doctor gentium in fide & veritate. 1. Tim. 2. 7. Odorem notitiæ ſuæ (*Deus*) manifeſtat per nos in omni loco, &c. 2. Corinth. 2. 14. Et ad hæc quis tam idonæus? Ib. v. 16

*Debet etiam bonus Prælatus officia diſponere inter ſubditos, & ordinare; ſicut Moyſes, qui conſilio Jethro inſtituit in populo centuriones, quinquagenaria, & decanos.* Exod. 18. 25. *Paulus quoque in Eccleſia ſimilia faciebat;* Cetera autem, (*inquit*) cum venero, diſponam. 1. *Cor.* 11. 34. Hujus rei gratia, (*inquit alibi Tito, c.* 1. *v.* 5.) reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi.

*Item debet puſillanimes & timidos animare, ſicut fecit Moyſes, quando dixit populo paveſcenti.* Exod. 14. 13. Nolite timere — Dominus pugnabit pro vobis. *Et hoc utique Paulus optime faciebat:* Confortamini, (*inquit*) in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, &c. Epheſ. 6. 10. 11. *item* Hebr. 12. 3. Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem: ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes.

*Item in bono Prælato debet eſſe defenſio oppreſſorum, ſicut Onias ſummus ſacerdos conſtanter reſtitit Heliodoro, volenti templum Domini ſpoliare?* 2. *Mach.* 3. 10. & 2. *Quam viriliter autem Paulus reſtiterit pſeudoapoſtolis Judæis, patet in* Actibus & 2. Corinth. 11. 21. *ait:* In quo quis audet — audeo & ego: *& ideo dicebat ſe pugnare.* 1. Cor. 9. 26. ſic pugno, non quaſi aerem verberans: & 2. ad Timoth. 4. 7. bonum certamen certavi, &c.

*Præterea debet eſſe conſolator afflictorum, velut Eliachim, cum Holofernes Bethuliam obſediſſet.* Judith. 4. 11. *Paulus autem non erat inferior in hac parte, unde ait:* 2. Cor. 1. 3. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in preſſura ſunt: & ad Hebræos cap. 13. 22. Rogo autem vos, fratres, ut ſufferatis verba ſolatii. *Verba enim conſolatoria habuit maxime* ad Philippenſes & Theſſalonicenſes *uti patet inſpicienti.*

*Debet inſuper bonus Prælatus pigros & tepidos excitare; quod fecit Patriarcha Jacob, qui audiens, quod alimenta venderentur in Ægypto,* dixit filiis ſuis: Quare negligitis? *Gen.* 42. 1. *Et hoc ſtrenuus & vigil Paulus optime noverat facere, hinc inquit* ad Rom. 13. v. 11. Hora jam eſt, nos de ſomno ſurgere: & ad Epheſ. 5. 14. Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus: & 2. ad Timoth. 1. 6. Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.

*Idem debet indigentibus pro poſſibilitate ſua, quantum ad neceſſaria ſubvenire; exemplum eſt de hoc in Eliſeo, qui quinque panes fecit diſtribui filiis prophetarum:* 4. *Reg.* 4. 38. *Quod & Paulus diligenter implebat, memor illius verbi,* Actor. 20. 35. beatius eſt magis dare quam accipere, *prout ipſe refert: cum vero non habebat quod dare poſſet, ab aliis ſolicite procurabat; & hoc optime apparet* 1. ad Corinth. 16. 1. De collectis autem, &c. item 2. Cor. 9. 6. Qui parce ſeminat, parce & metet.

*Item ad eum pertinet ſuperbos & tumidos refrenare & humiliare: quod volens facere Moyſes, increpando dicebat:* multum erigimini filii Levi. *Num.* 16. 7. *Samuel etiam dixit Sauli:* quare non audiſti vocem Domini, &c. 1. Reg. 15. 19. *Et in hac etiam Paulus erat valde peritus arte, unde ait:* 1. Cor. 4. 18. Tamquam non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam. Veniam autem ad vos cito, ſi Dominus voluerit: & cognoſcam non ſermonem eorum, qui inflati ſunt, ſed virtutem; & 1. ad Timoth. 6. 17. Divitibus hujus ſæculi præcipe, *ne elato ſint animo.*

*Rurſus etiam bonus Prælatus diſtantes, & ad eum accedere non valentes, debet perſonaliter viſitare; quod bene Samuel adimplebat, qui* circumiens Bethel, & Galgala, & Maſphath, judicabat Iſraelem. 1. Reg. 7. 16. *Et quid fecit Apoſtolus Paulus? hic ſane a Jeruſalem uſque ad ultimum mare replevit omnia Evangelio Chriſti.* Rom. 15. 19. *ita ut vitam ſuam curſum quemdam nominaverit,* 1. Corinth. 9. 26. Sic curro, non quaſi in incertum; *& iterum dicit idem Apoſtolus* 2. Tim: 4. 7. curſum conſummavi, &c.

*Item debet delinquentes & transgreſſores punire, ſicut fecit Moyſes quando populus vitulum conflatilem adoravit.* Exod. 32. 18. *Neque in hac parte Paullus negligens erat, ſed dicebat:* 2. Corinth. 10. 4. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, &c. *ſequitur: in promptu habemus vindictam adverſus omnem inobedientiam: &* 1. Corinth. 4. 21. In virga veniam ad vos, an in caritate, & ſpiritu manſuetudinis?

*Item bonus Prælatus debet contumaces de populo & peſtiferos excipere, ſicut fecit Moyſes cum*

*Core, & his qui adheſerunt illi:* Tu, (*inquit*) & omnis congregatio tua ſtate ſeorſum: *deinde dixit ad reliquos Num. 16. 16.* Recedite a tabernaculis hominum impiorum. *Sic etiam Paulus de illo, qui tenebat novercam ſuam, ait?* Ego — judicavi — tradere hujuſcemodi Satanæ in interitum carnis, Ibid. v. 26. 1. Corinth. 5. 5. *& paulo poſt inquit* Ibid. v. 7. Expurgate vetus fermentum. *Sic & 1. Tim. 1. 20. Hymenæum & Alexandrum tradidit Satanæ, ut diſcerent non blaſphemare.*

*Poſtremo debet pro univerſis orare, ſicut faciebat Moyſes, is orabat Dominum. Exod. 32. 11. Et Samuel dicit* 1. Reg. 12. 23. Abſit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut ceſſem orare pro vobis. *Hoc autem & Paulus diligentiſſime adimplevit, ſic ait* Rom. 1. 9. Sine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis. *&* 2. ad Theſſ. 1. 11. oramus ſemper pro vobis: ut dignetur vos *vocare Deus &c. vide* 1. Theſſ. 1. 2. *Item hoc ipſum fieri hortabatur, dicens* 1. Tim. 2. 1. Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus pro regibus, &c.

*Principum, & Superiorum, item Prælatorum malorum exempla.*

Dixitque (*Moyſes*) ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum? *nam multum peccat prælatus in ſubditos, quando eorum prave acquieſcit voluntati. Exod.* 32. 21

*Præcepit Dominus Moyſi, dicens:* Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis. *Num.* 15. 4

*Male corripuit Heli filios ſuos, quod multum diſplicuit Domino.* 1. Reg. 2. 12. *Vide & v.* 22

Totumque pondus prælii verſum eſt in Saul: *unde & cecidit.* 1. *Reg.* 31. 3

*Propter peccatum, quod commiſit David in numeratione populi, mortui ſunt ex populo ſeptuaginta millia virorum:* 2. *Reg.* 24. 1

*Quia Roboam populum nimis gravare voluit, magnam partem ipſius amiſit.* 3. Reg. 12. 19. *Vide totum caput.*

*Occaſionem dedit Roboam populo recedendi a cultu Dei, quam quando vitulos fecit, & adorare eos præcepit. Ibid. v.* 28

*Propter malos Prælatos ſubditi etiam temporaliter affliguntur; unde Elias dixit Achab: Tu conturbas Iſrael, & totam domum patris tui. Ibid.* 18. 18

Rex autem Siriæ præceperat principibus curruum, &c. Non pugnabitis contra majorem, & minorem quempiam, niſi contra regem Iſrael ſolum; *ille autem erat Achab nequiſſimus. Ibid.* 22. 31

Igitur Manaſſes ſeduxit Judam & habitatores Jeruſalem, ut facerent malum ſuper omnes gentes, quas ſubvertat Dominus a facie filiorum Iſrael. 2. *Par.* 33. 9

*Malorum Prælatorum in Jeruſalem peccata expreſſit Propheta Iſaias, dicens:* Principes tui infideles, ſocii furum omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. *Iſa.* 1. 23

*De Nabuchodonoſor principe peſſimo dicitur:* Tu enim terram tuam diſperdiſti, tu populum tuum occidiſti, &c. *Ibid.* 14. 20

Stulti facti ſunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, &c. &c. *Ibid.* 19. 13

*Sobna Præpoſitus templi credebat in Jeruſalem diu vivere, & moriturus honorifice ſepeliri; ſed mandavit Dominus ei:* Quid tu hic, aut quaſi quis hic? &c. &c. *Poſt pauca ſequitur: Ibid.* 22. 16 Et expellam te de ſtatione tua, &c. Ib. v. 19

*Sedecias rex Juda, dixit principibus Jeremiam occidi volentibus & potentibus:* Ecce ipſe in manibus veſtris eſt: nec enim fas eſt regem vobis quidquam negare. *Jerem.* 38. 5

*Contra malos Prophetas & Prælatos dixit Dominus per Ezechielem:* Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini. *Ezech.* 13. 5.

*Malis Prælatis Dominus per Ezechielem terribiliter comminatur, dicens:* Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges a paſtoribus paſcuntur? *& ſtatim deſcribit Propheta paſtorum malorum vitia:* Lac, (*inquit*) comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. *Ibid.* 34. 2

*Mali fuerunt illi presbyteri, qui condemnaverunt Suſannam ad mortem, eo quod noluit conſentire eis, cum ex hoc magis meruiſſet laudari. Dan.* 13. 1

*Rex Demetrius* Alcimum (*proditorem*) impium conſtituit in ſacerdotium, & mandavit ei facere ultionem in filios Iſrael. 1. *Mach.* 7. 9

Et elegit Bachides viros impios, & conſtituit eos Dominos regionis: *& expugnavit* amicos Judæ, &c. *Ibid.* 9. 25

Jaſon, frater Oniæ, qui ſummum ſacerdotium emit ab Antiocho, ſtatim (*ut obtinuit principatum*) ad gentilem ritum contribules ſuos tranſferre cœpit. 2. *Mach.* 4. 10

*Proprietates malorum Prælatorum tangit Salvator noſter, dicens:* Super cathedram Moyſi ſederunt





Scribæ & Phariſæi, &c. dicunt enim & non faciunt, &c. alligant onera gravia, &c. Clauditis (*addidit*,) regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, &c. *Matt.* 23. 1. v. 13

*Et apud Joannem inquit:* Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor — videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit — non pertinet ad eum de ovibus, *ſed curas tantum de pellibus. Joan.* 10. 2

*Sciebat Pilatus, quod Judæi per invidiam Dominum tradidiſſent, ſciebat eum eſſe innocentem, & tamen propter favorem populi & timorem Cæſaris, tradidit eum voluntati eorum. Matt.* 27. 18

*Principes ſacerdotum, vocantes Petrum & Joannem, eis* denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jeſu. *Actor.* 4. 18

*Videns Princeps ſacerdotum multa ſigna fieri per Apoſtolos,* exurgens (*ipſe*,) & omnes qui cum illo erant injecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica: Angelus autem Domini per noctem *eduxit* eos. *Ibid.* 5. 18. Tunc abiit Magiſtratus cum miniſtris, & adduxit illos — *& poſt multa conſilia vocaverunt* Apoſtolos, cæſis denuntiaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jeſu, Ibid. v. 26. v. 40

*Raptus fuit Stephanus a Judæis, & adductus in Conſilium. Cum autem plura objicerent, dixerunt ei principes ſacerdotum; ſi hæc ita ſe habent? Qui cum fideliter ſe excuſaret, & duritiam Judæorum acriter increparet, lapidatus eſt a Judæis, præfatis Principibus nullam diſplicentiam oſtendentibus. Ibid.* 6. 12. *Vide* cap. 7. *per totum.*

*Quidam homines, habentes puellam, a qua Paulus ejecit ſpiritum Pythonicum, accuſaverunt eum & Silam ſocium ejus, quod ipſi civitatem turbarent. Magiſtratus autem, ſine aliqua probatione, fecerunt Paulum & Silam* virgis cædi, *& in carcerem durum mitti. Ibid.* 16. 22

*Productus Paulus in Conſilium cœperat rationabiliter loqui, ſed ad primum verbum quod dixit, Princeps ſacerdotum fecit eum percuti.* Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu ſedens judicas me ſecundum legem, & contra legem jubes me percuti. *Ibid.* 23. 2

*Malos præſides & iniquos habuit Paulus, Felicem & Feſtum, qui volebant gratiam Judæis præſtare, & idcirco compulſus eſt Paulus ad Cæſarem appellare. Actor.* 24. 27. *&* 25. 9

## TITULUS XXXIII.

*Proditio.*

*Proditionis & ejus pœna, & punitionis dicta & exempla.*

Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras. Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum, &c. *Geneſ.* 4. 8

*Proditio fratrum Dinæ, qui ob ſtupratam ſororem, Sichemitas prius dolo circumciſos interfecerunt, & urbem vaſtaverunt; quapropter a patre arguuntur. Ibid.* 34. *per totum.*

*Uxor Samſonis Philiſthæa tamdiu flevit coram eo, donec parabolam manifeſtaret ei, quæ hanc, & iſtum prodidit inimicis Samſonis & amicis ſuis, &c. Judic.* 14. 17

*Dalila cognita fortitudinis cauſſa Samſonis, detonſo ipſo prodidit eum Philiſthæis, a quibus hoſtibus excæcatus eſt, ſed & ipſos tandem una cum ſeipſo interemit. Ibid.* 16. 9

*Saul promiſit ſe daturum filiam ſuam David, ut per hanc occaſionem accipiat a Philiſthæis occidi.* 1. Reg. 18. 17. *Vide* v. 25

*Saul omnes Sacerdotes Nobe, præter Abiathar, qui ad David confugit, per Doeg proditorem juſſit interimi. Ibid.* 21. 9

*Salvavit David habitatores Ceilæ ab exercitu Philiſthæorum oppugnantium civitatem. Et tamen voluerunt eum tradere Saul æmulo, ipſum ad mortem proſequenti. Ibid.* 23. 5. *vide* v. 7. *&* 12

Aſcenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes; Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutiſſimis Silvæ — noſtrum autem erit, ut tradamus eum in manus regis. *Ibid. v.* 19. *Vide &* cap. 26. 1. *eoſdem proditores.*

*Poſtquam Saul fleverat, quaſi doleret de perſecutione David, & David ei juraverat, perſecutus eſt poſtea David ita nequiter & acriter uti prius. Ibid.* 24. 17

Cumque rediiſſet Abner in Hebron, ſeorſum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei in dolo: & percuſſit illum ibi in inguine, & mortuus eſt in ultionem ſanguinis Aſael fratris ejus. 2. *Reg.* 3. 27

Venientes igitur filii Remmon Berothitæ, Rechab & Baana, ingreſſi ſunt fervente die domum Isboſeth; qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie. Et oſtiaria domus purgans triticum, obdormivit. Ingreſſi ſunt autem domum latenter, aſſumentes ſpicas tritici, & percuſſerunt eum in inguine — & percutientes interfecerunt eum: ſublatoque capite ejus *aufugerunt, &* abierunt per viam deſerti tota nocte. *Ibid.* 4. 5

*Urias detulit ad Joab a David proditorias acceptas litteras mortis propriæ. Ibid.* 11. 14

*Ammon filius David vocaverat ſororem Thamar, quaſi de manu illius cibum ſumere deberet; & poſtea oppreſſit eam. Ibid.* 13. 10

*Vocavit ad convivium Abſalom Ammon fratrem ſuum, & ibidem occidit eum. Ibid.* v. 28

*Abſalom proditorie in Hebron proficiſcens, conjurat adverſus patrem. Ibid.* 15. 7

*Cum ſalutaſſet Joab Amaſam, quaſi oſculari eum vellet* percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina ejus in terram. 2. *Reg.* 20. 10

*Zambri, dux mediæ partis equitum, occidit Hela dominum ſuum, & regnavit poſt eum ſeptem diebus tantum; obſeſſus enim fuit, & ſuccendit ſe, & palatium in quo erat.* 3. *Reg.* 16. 10. v. 19

*Sellum, filius Jabes conjuravit contra Zachariam regem Iſrael dominum ſuum, & interfecit eum, & regnavit poſt eum uno menſe tantum.* 4. *Reg.* 15. 10. *Vide & verſu* 25. *ſimilem conjurationem.*

*Cum oraret Senacherib in templo Deum ſuum, duo filii ejus percuſſerunt eum, ſed tamen neuter eorum regnavit poſt eum. Ibid.* 19. 37

Tetenderuntque ei (*Amon*) inſidias ſervi ſui, & interfecerunt regem in domo ſua. Percuſſit autem populus terræ, omnes qui conjuraverant adverſus regem Amon. *Ibid.* 21. 23

Venit Iſmael filius Nathaniæ, *& multi* cum eo, *& comederunt cum Godolia, quem præfecerat rex Babylonis terræ Juda. Et poſt prandium ſurrexerunt, & interfecerunt eum, qui nihil mali voluerat credere contra illos. Ibid.* 25. 25. Jerem. 41. v. 2. & 6

Qui poſtquam receſſit (*Amaſia*) a Domino, tetenderunt ei inſidias in Jeruſalem. Cumque fugiſſet in Lachis, miſerunt, & interfecerunt eum. 2. *Par.* 25. 27

*Quidam inimici Nehemiæ voluerunt fœdus cum eo malitioſe componere, & ſic dato pretio de affectato regno accuſare, vide.* 2. *Eſdr.* 6. 2. 1. Eſdr. 4. 2

*Duo janitores regis Aſſueri, qui* in primo palatii limite præſidebant: volueruntque inſurgere in regem, & occidere eum, *& appenſus eſt uterque eorum in patibulo. Eſther* 2. 22

Miſit rex (*Antiochus*) principem tributorum in civitate Juda, & venit Jeruſalem cum turba magna. Et locutus eſt ad eos (*qui erant intus*) verba pacifica in dolo: & crediderunt ei. Et irruit ſuper civitatem, &c. 1. *Mac.* 3. 30

*Cum obſideret Antiochus Eupator Jeruſalem, nec poſſet eam capere,* miſit ad eos, *qui intus erant,* pacem facere, & receperunt illam. Et juravit illis rex: *ſed rupit cito juramentum. Ibidem* 6. 61

*Ptolemæus rex Ægypti quærebat obtinere regnum Alexandri generi ſuo dolo, &c. Ibid.* 11. 1

Triphon autem cum iter faceret cum Antiocho rege adoleſcente, dolo occidit eum. Et regnavit loco illius. *Ibid.* 13. 31

*Ptolemæus filius Abobi, gener ſummi ſacerdotis, fecit convivium Simoni, & duobus filiis ejus. Et cum inebriati eſſent, occidit eos. Ibid.* 16. 11

*Simon templi præpoſitus, theſauros ejus Apollonio duci prodit, ad quos rapiendos juſſus a rege Heliodorus, percutitur a Deo.* 2. *Mach.* 3. *Vide* & cap. 4. 1

Qui cum veniſſet (*Appollonius*) Jeroſolymam, pacem ſimulans, quievit uſque ad diem ſanctum Sabbati, & tunc feriatis Judæis, arma capere ſuis præcepit, *& ingentem multitudinem eorum peremit. Ibid.* 5. 25

*Audiens Judas Machabæus, quod illi, qui obſederant turres, ubi erant inimici gentiles, pecuniam accepiſſent, & quoſdam abire permiſerint, illos tamquam proditores, & fratrum venditores interficit, & confeſtim turres occupavit. Ibid.* 10. 20

*Omnes alias proditiones in nequitia & perverſitate ſuperat illa, quam facinoroſiſſimus Judas contra Dominum procuravit: qui Dominum & Magiſtrum ſuum vendidit pro tantillo pretio; Matth.* 20. 14. *& Ibid.* v. 49. *cum in manus hoſtium tradidit oſculando. Vide* Marc. 14. 45. Luc. 22. 47. Joan. 18. 5. *Sed propterea* ſuſpenſus crepuit medius: & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus. *Vide* Actor. 1. 18 Matth. 27. 5

Collegerunt ſe quidam ex Judæis, & devoverunt ſe, dicentes neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum, *ſed detecta eſt conjuratio, & Paulus ſanus evaſit. Actor.* 23. 12

## TITULUS XXXIV.

### Promiſſio. *Vide & Votum.*

#### *Promiſſiones Dei cum conditione ſunt.*

D*Abit Dominus tibi quidquid juravit dare,* ſi tamen cuſtodieris mandata ejus, &c. *Deut.* 19. 8

*Multiplex promittitur obſervantibus legem benedictio, tranſgredientibus maledictio. Ibid.* 28. *Idem habetur verbatim* Levit. 26. 1. &c

Propterea ait Dominus Deus Iſrael: Loquens locutus ſum, ut domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo, uſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Abſit hoc a me: ſed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 1. *Reg.* 2. 30

*Dicit Propheta quod filius non portabit iniquitatem patris, nec econtra, ſed quiſque ſuam ipſius portabit: quod ſi impius pœnitentiam egerit, ſalvabitur; juſtus vero ſi ſuam deſerat juſtitiam, damnabitur. Hortatur ergo Dominus ad pœnitentiam & cordis innovationem. Ezech.* 18

Si autem dixero impio: Morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato ſuo, feceritque judicium & juſtitiam, & pignus reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injuſtum; vita vivet, & non morietur.

*Ezech.*



*Ezech.* 33. 14. Et cum receſſerit impius ab impietate ſua, feceritque judicium & juſtitiam: vivet in eis. v. 19

Quicrediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16. 16

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 16. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. v. 36. Cap. 1. 12

Amen amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. *Ibid.* 6. 47

Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis: & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. *Ibid.* 8. 31

Si hæc ſcitis beati eritis ſi feceritis ea. *Ibid.* 13. 17

Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. *Ibid.* 15. 7. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. v. 14

Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur. *Rom.* 8. 17

Participes enim Chriſti effecti ſumus; ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus. *Hebr.* 3. 14. Coloſſ. 1. 23

*Vincenti præmium pollicetur. Apoc.* 2. 11

Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. *Ibid.* 21. 7. *Vide &* 2. Pet. 1. 4. & Apoc. c. 3

## TITULUS XXXV.

### *Propheta.*

#### *Prophetæ boni a Deo mittuntur.*

PRiuſquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de vulva, ſanctificavi te, & prophetam in Gentibus dedi te. *Jerem.* 1. 5. Noli dicere: Puer ſum: quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis: & univerſa quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum: quia tecum ego ſum, ut eruam te, dicit Dominus. v. 7

Et factum eſt verbum Domini ad Jeremiam, &c. *Jere.* 33. 1. Clama ad me, & exaudiam te: & annuntiabo tibi grandia, & firma quæ neſcis. v. 3.

Quia non facit Dominus Deus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos prophetas. *Amos* 3. 7

Et Spiritus prophetarum, prophetis ſubjecti ſunt. 1. *Cor.* 14. 32

#### *A malis contemnuntur.*

PRophetam ſuſcitabo eis — ſimilem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam. *Deut.* 18. 18

Mittebat autem Dominus Deus patrum ſuorum ad illos per manum nuntiorum ſuorum --- At illi ſubſannabant nuntios Dei, &c. 2. *Par.* 36. 15

Venite, & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad univerſos ſermones ejus. *Jer.* 18. 18

Seduxiſti me domine, & ſeductus ſum: fortior me fuiſti, & invaluiſti: factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me. Quia jam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito: & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum tota die, &c. *Ibid.* 20. 7

Et miſit Dominus ad vos omnes ſervos ſuos prophetas, conſurgens diluculo, mittenſque: & non audiſtis, neque inclinaſtis aures veſtras, ut audiretis *eum. Ibid.* 25. 4

Judicium mortis eſt viro huic: quia prophetavit adverſus civitatem iſtam, ſicut audiſtis auribus veſtris, &c. *Ibid.* 26. 11

Et dixerunt principes regi: Rogamus ut occidatur homo iſte. *Ibid.* 38. 4

Domus autem Iſrael nolunt audire te: quia nolunt audire me. *Ezech.* 3. 7

Et dixi, a, a, a, Domine Deus: ipſi dicunt de me: Numquid non per parabolas loquitur iſte? *Ibid.* 20. 49

Et prophetis mandabitis dicentes, Ne prophetetis. *Amos* 2. 12

Jeſus autem dixit eis: Non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua. *Matt.* 12. 57

Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui ædificatis ſepulcra prophetarum. *Ibid.* 23. 29

Tunc exſpuerunt in faciem ejus -- dicentes: Prophetiza nobis, qui eſt quis te percuſſit? *Ibid.* 26. 67

## TITULUS XXXVI.

### *Proſperitas.*

#### *Proſperitas a Deo eſt.*

FUitque Dominus cum eo (*Joſeph*), & erat vir in cunctis proſpere agens. *Gen.* 39. 2

In omnibus quoque viis ſuis David prudenter agebat, & Dominus erat cum eo. 1. *Reg.* 18. 14. *Vide idem* 2. Reg. 5. 10. *& de Ezechia* 4. Reg. 18. 7

Dominus Deus. Quid ultra addere poteſt David, cum ita glorificaveris ſervum tuum, & cognoveris eum? Domine, propter famulum tuum juxta cor tuum feciſti omnem magnificentiam hanc, & nota eſſe voluiſti univerſa magnalia. 1. *Par.* 17. 18

Hæc dicit Dominus exercituum. Ego tuli te, cum in paſcuis ſequereris gregem, ut eſſes dux populi mei Iſrael. Et fui tecum quocumque perrexiſti: & interfeci omnes inimicos tuos coram te, fecique tibi nomen quaſi unius magnorum, qui celebrantur in terra, &c. *Ibid.* 17. 7

Sit Dominus tecum, & proſperare. *Ibid.* 22. 11

Confortatus eſt ergo Salomon -- in regno ſuo, & Dominus Deus ejus erat cum eo, & magnificavit eum in excelſum. 2. *Par.* 1. 1. cap. 14. 6. 15. 9. *ſic & de Joſaphat dicitur* cap. 17. 3

Egeſtas a Domino in domo impii: habitacula autem juſtorum benedicentur. *Prov.* 3. 33

Omnis enim homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt. *Eccleſ.* 3. 13

*Proſperitas impiorum, & eorumdem repentinus interitus.*

V*Ide totum hoc caput. Job.* 21. 1

Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani. Et tranſivi, & ecce non erat: & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus, &c. *nam*, Injuſti autem diſperibunt ſimul: reliquiæ impiorum interibunt. *Pſal.* 36. 35

Ego Deus tuus: confortavi te, & auxiliatus ſum tibi --- Ecce confundentur & erubeſcent omnes, qui pugnant adverſum te: erunt quaſi non ſint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non invenies, &c. *Iſa.* 41. 10

*Proſperitas timentibus Deum promiſſa.*

TUnc enim proficere (*ſc. proſperare*) poteris, ſi cuſtodieris mandata & judicia, quæ præcepit Dominus, &c. 1. *Par.* 22. 13

Confortamini, & agite diligenter, & erit Dominus vobiſcum in bonis. 2. *Par.* 19. 11

Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis: credite Prophetis ejus, & cuncta evenient proſpera. *Ibid.* 20. 20

Cum requireret Ozias Dominum, direxit eum in omnibus. *Ibid.* 26. 5

Corroboratuſque eſt Joatham, eo quod direxiſſet vias ſuas coram Domino Deo ſuo. *Ibid.* 27. 6

*Ezechias requirens Deum ſuum toto corde, proſperatus eſt valde. Ibid.* 31. 21. *Vide & idem* 32. 30. Iſa. 1. 19. Pſalm. 24. 13

Utinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris. Et fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps uteris tui ut lapilli ejus, &c. *Iſa.* 48. 18. cap. 58. 8

Audite vocem meam (*dicit Dominus*) & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene ſit vobis. *Jere.* 7. 23. cap. 22. 4. cap. 32. 39. Oſe. 2. 21

*Proſperitas mundana ſeu temporalis ejuſque abuſus plerumque ad peccatum incitat & præcipitat.*

A*Bundantia rerum temporalium ſæpe fit multorum occaſio peccatorum, ſicut in illa regione, quæ irrigabatur ſicut paradiſus, in qua habitabant Sodomitæ peſſimi.* Gen. 13. 10

*Refert Moyſes beneficia, & e contra populi ingratitudinem. Deut.* 32

*Gedeon cum parvus eſſet, & in area frumentum excuteret, bonus fuit, Angeluſque Domini viſitavit eum. Poſt obtentam autem victoriam male ſe habuit. Judic.* 6. 12. *Vide* cap. 8. 13. *uſque ad finem.*

*Saul, antequam rex eſſet, bonus fuit, at poſtquam regni gubernacula ſuſcepit, intumuit, & mandatum Domini præterivit.* 1. *Reg.* 15. 11

*Poſt multa bella & victorias de inimicis obtentas, David remanens quietus in Jeruſalem, commiſſit adulterium, & exinde ſecutum eſt homicidium.* 2. *Reg.* 11. 4. v. 15

*Occaſione multitudinis ſubditorum David in ſuperbiam elatus eſt, & fecit populum numerari. Ibid.* 24. 1

*Non erat argentum alicujus pretii in diebus Salomonis, quia tanta erat in Jeruſalem argenti abundantiā, quanta eſt lapidum. Sed nota quam mirabile & quam terribile, fuit, quod plus nocuit ei rerum copia, quam profuit tanta ſapientia.* 3. Reg. 10. cap. 11. 1

*Jeroboam antequam conſequeretur dominium ſuper decem tribus, non legitur fuiſſe malus, ſed potius adoleſcens bonæ indolis & induſtrius: ſtatim vero ut regnum adeptus eſt, fecit vitulos aureos, & avertit populum a Deo, ne averteretur ab eo. Ibid.* 12. 20

*Amaſias poſtquam debellavit Edom, elevatum eſt cor ejus, & voluit contra Joas regem Iſrael præliari, ſed male ſucceſſit ei.* 4. *Reg.* 14. 7

*Cum roboratum fuiſſet regnum* Roboam *& confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Iſrael cum eo.* 2. *Paral.* 12. 13





Cum roboratus eſſet (*Ozias rex Juda*) elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum --- ingreſſuſque in templum Domini adolere voluit incenſum. 2. *Par.* 26. 16

*Manaſſes rex in Jeruſalem fuit peſſimus, poſtea in Babylone vinctus*, qui poſtquam coanguſtatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum: & egit pœnitentiam valde coram Deo. *Ibid.* 33. 9

Et comederunt, & ſaturati ſunt, & impinguati ſunt (*Iſraelitæ*) & abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. Provocaverunt autem te, (*Deus*) ad iracundiam. 2. *Eſdr.* 9. 25

*Aman proſperrimus, incidit in ſuperbiam, & hinc in patibulo brevem ſuam finiebat proſperitatem. Eſther.* 5. cap. 7. 10

Mendicitatem (*Deus*) & divitias, (*orat Salomon*) ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria; ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei. *Prov.* 30. 8

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, &c. *Ezech.* 16. 49

*Statua, quam vidit Nabuchodonoſor, quæ percuſſa a lapide abſciſſo de monte, redacta eſt in favillam, ſatis indicat proſperitatem hujus mundi nihil eſſe. Dan.* 2. 31

*Indicat Daniel ſuperbo Nabuchodonoſor*: Ejicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſque erit habitatio tua, & fenum ut bos comedes, & rore cæli infunderis. *Ibid.* 4. 22

Juxta paſcua ſua adimpleti ſunt (*filii Iſrael*,) & ſaturati ſunt: & levaverunt cor ſuum, & obliti ſunt mei, *inquit Dominus. Oſeæ* 13. 16

*Filii Zambri faciebant nuptias magnas, & venerunt Judæi, Jonatha duce, & occiderunt multos; & ita converſæ ſunt nuptiæ in luctum, & vox muſicorum in lamentum.* 1. *Mach.* 9. 37. Jacob. 4. 9

*Adoleſcens, qui quæſivit a Chriſto, quomodo habere poſſit vitam æternam, multas habebat poſſeſſiones & divitias; idcirco audiens a Chriſto conſilium perfectionis, ut vendat quæ poſſidet, abiit triſtis. Matt.* 19. 22

*Ad contemnendam temporalium nimiam abundantiam, multum facit, exemplum quod ponit Salvator noſter in illo divite ſtolido, cujus ager uberes afferebat fructus. Cum autem ſolicitus cogitaret deſtruere horrea ſua, & facere majora, ait* illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem paraſti, cujus erunt? *Luc.* 12. 16. *Vide & hiſtoriam quam narravit Chriſtus de epulone divite, & paupere Lazaro* Luc. 16. 19. *& concludit tandem Chriſtus in hoc capite* 12. v. 21. Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.

*Emptores villæ, & boum, & qui uxorem duxerat, vocati ad cœnam Domini, excuſaverunt ſe tamquam aliis occupati: pauperes autem & debiles fuerunt introducti. Ibid.* 14. 18

*Cum populus Herodi magno regi, veſtito regali veſte, & ſedenti pro tribunali acclamaret*; Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini --- & conſumptus a vermibus expiravit. *Actor.* 12. 21

Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, &c. 1. *Tim.* 6. 17

## T I T U L U S XXXVII.

Providentia. *Vide & Dei Gubernatio & Providentia.*

*Providentia Dei adſtruitur.*

NE dederis &c. neque dicas coram Angelo: Non eſt Providentia: ne forte iratus Deus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum. *Eccleſ.* 5. 5

Dixit enim (*Deus*): In fortitudine manus meæ (*cuncta*) feci, & in ſapientia mea intellexi: & abſtuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes: Et invenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum: & ſicut colliguntur ova quæ derelicta ſunt, ſic univerſam terram ego congregavi: & non fuit qui moveret pennam, & aperiret os, & ganniret. Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, a quo trahitur? quomodo ſi elevetur virga contra elevantem ſe, &c. *Iſa.* 10. 13. Job. 22. 14

Si autem fenum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quanto magis vos, modicæ fidei? Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? --- Scit enim pater veſter quia his omnibus indigetis. *Matt.* 6. 30

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri. *Ibid.* 10. 19. Luc. 12. 11

*Providentia Dei univerſalis & generalis.*

D*Eus præcepit & providit Noe ut non ſolum filios, &c. ſecum in arcam, ducat, ſed & ex cunctis animantibus univerſæ carnis induci mandavit bina, maſculini ſexus & femini, &c.* Gen. 6. 19

Dominus regit me, & nihil mihi deerit. *Pſal.* 22. 1

Homines & jumenta ſalvabis Domine. *Ibid.* 35. 7

Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. *Ibid.* 66. 5

Omnia a te, (*Deus*) exſpectant, ut des illis eſcam in tempore. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur, &c. *Ibid.* 103. 27. *Vide totum Pſalmum.*

Oculi omnium in te ſperant Domine: & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Ibid.* 144. 15. *Vide totum hunc Pſalmum &* Pſal. 145. *item* 146

*Deus* operit cælum nubibus: & parat terræ pluviam, &c. *Ibid.* 146. 8

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. *Prov.* 15. 3

Puſillum & magnum ipſe fecit (*Deus*), & æqualiter cura eſt illi de omnibus. *Sapient.* 6. 8

In manu enim illius & nos, & ſermones noſtri, & omnis ſapientia. *Ibid.* 7. 16

Attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. *Ibid.* 8. 1

Diligis enim (*Deus*) omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. *Ibid.* 11. 25

Tua autem Pater providentia (*ab initio cuncta*) gubernat. *Ibid.* 14. 3

Ego Dominus, & non eſt amplius, extra me non eſt Deus. *Iſa.* 45. 5. Formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc. v. 27. Ut ſciant hi, qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſque me non eſt. Ib. v. 6

Numquid non Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus? *Jere.* 23. 24

Nonne duo paſſeres aſſe veneunt: & unus ex iſtis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. *Matt.* 10. 29. Actor. 27. 34

*Jeſus dicit*: Pater meus uſque modo operatur, & ego operor. *Joan.* 5. 17

In ipſo enim (*Deo*) vivimus, & movemur, & ſumus. *Actor.* 17. 28

Qui (*Deus*) operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. *Epheſ.* 1. 11

Omnia (*hujus univerſi*) in ipſo (*Deo*) conſtant. *Coloſſ.* 1. 17

Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum (*Deum*), quoniam ipſi cura eſt de vobis. 1. *Petr.* 5. 7

*Providentia Dei ſpecialis ſeu particularis.*

APud Dominum greſſus hominis dirigentur: & viam ejus volet. Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam. *Pſal.* 36. 23

Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant a Deo eſcam ſibi. *Ibid.* 103. 21

Qui (*Deus*) numerat multitudinem ſtellarum: & omnibus eis nomina vocat. *Ibid.* 146. 4

Qui producit in montibus fenum, & herbam ſervituti hominum. Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum. *Ibid. v.* 8

A Domino diriguntur greſſus viri: quis autem hominum intelligere poteſt viam ſuam? *Prov.* 20. 24

Et omnia opera illorum (*hominum*) velut ſol in conſpectu Dei: & oculi ejus ſine intermiſſione inſpicientes in viis eorum. *Eccli.* 17. 16

Scio Domine, quia non eſt hominis via ejus: nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos. *Jere.* 10. 23

Et paravit Deus vermem aſcenſu diluculi in craſtinum: & percuſſit hederam, & exaruit. *Jona* 4. 7

Et plui, (*ait Dominus*), ſuper unam civitatem, & ſuper alteram civitatem non plui: pars una compluta eſt, & pars, ſuper quam non plui, aruit. *Amos* 4. 7

Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex iſtis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? *Matth.* 10. 29

Deus autem dat illi corpus ſicut vult: & unicuique ſeminum proprium corpus. 1. *Cor.* 15. 38

*Providentia Dei peculiaris, ſeu ſingularis, qua Eccleſiæ ſuæ providet.*

QUando dividebat Altiſſimus gentes: quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum, &c. Pars autem Domini populus ejus, &c. circumduxit eum, & docuit: & cuſtodivit quaſi pupillam oculi ſui, &c. &c. *Deut.* 32. 8

*Dixit Dominus ad Eliam prophetam, qui repræſentabat totam Eccleſiam*: Vade contra orientem – Et ibi de torrente bibes: corviſque præcepi ut paſcant te ibi, &c. 3. *Reg.* 17. 3

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit. *Pſal.* 22. 1

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos. *Ibid.* 33. 8

Et nunc dicit Dominus, creans te Jacob, & formans te Iſrael: Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te; &c. &c. &c. *Iſa.* 43. 1

Quærite ergo primum regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. *Matt.* 6. 33

Et ſuper hanc Petram, (*inquit Salvator*) ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. *Ibid.* 16. 18

Ubi



Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. *Matt.* 18. 20. Actor. 9. 4

*Omnia ſecundum conſilium Dei ejuſque providentia definitum, voluntatem, ac decretum fiunt, & fieri dicuntur.*

DIxit *Joſeph ad fratres ſuos*: Permiſitque me Deus, ut reſervemini ſuper terram, & eſcas ad vivendum habere poſſitis. Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum. *Gen.* 45. 7. *Vide &* v. 5

Nolite timere: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? *Ibid.* 50. 19

*Dixit Dominus ad Moyſen*: Vide ut omnia oſtenta quæ poſui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor ejus, & non dimittet populum. *Exod.* 4. 21

Qui percuſſerit hominem, volens occidere, morte moriatur. Qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus illum tradidit in manus ejus: conſtituam tibi locum in quem fugere debeat. *Ibid.* 21. 12

Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit: ut impleret pactum ſuum, &c. *Deut.* 8. 18

Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ poſſunt audire: uſque in præſentem diem. *Ibid.* 29. 4

Et non audierunt vocem patris ſui: quia voluit Dominus occidere eos. 1. *Reg.* 2. 25

Cor hominis diſponit viam ſuam: ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus. *Prov.* 16. 9

Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit. *Ibid.* 19. 21. *Vide &* cap. 20. 24. Jerem. 10. 23

Non enim eſt alius Deus, quam tu, cui cura eſt de omnibus, ut oſtendas quoniam non injuſte judicas judicium. Neque rex, neque tyrannus in conſpectu tuo inquirent de his quos perdidiſti. Cum ergo ſis juſtus, juſte omnia diſponis, &c. *Sap.* 12. 13

Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc. *Iſa.* 45. 6. Amos 4. 13

Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis: Induraſti cor noſtrum ne timeremus te? convertere propter ſervos tuos, tribus hereditatis tuæ. *Ibid.* 63. 17

Ego (*Deus Iſrael*) feci terram, & homines, & jumenta, quæ ſunt ſuper faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento: & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. *Jerem.* 27. 5

*Sapientia & fortitudo Dei ſunt*; Et ipſe mutat tempora & ætates: transfert regna atque conſtituit: dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus diſciplinam: ipſe revelat profunda & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta: & lux cum eo eſt. *Dan.* 2. 21

O rex, (*inquit Daniel ad Baltbaſſar*), Deus altiſſimus regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonoſor patri tuo. *Ibid.* 5. 18

Nolite ergo ſolliciti eſſe (*de temporalibus*) --- Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. *Matt.* 6. 31.

Propterea non poterant credere, quia --- excæcavit (*Deus*) oculos eorum, & induravit cor, &c. ut non videant, *Joan.* 12. 39. *uti dicit* Iſaias c. 6. 9. *Vide &* Matt. 13. 14. Marc. 4. 12. Actor. 28. 26. Rom. 11. 8

Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 2. *Cor.* 3. 5

Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate (*ſua*). *Phil.* 2. 13

*Providentia Dei reverenter expendenda.*

DIxit *Abraham ad filium ſuum Iſaac ſollicitum de victima*: Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi. *Gen.* 22. 8

Multo tempore pugnavit Joſue --- non fuit civitas quæ ſe traderet filiis Iſrael --- omnes enim bellando cepit. Domini enim ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent: & non mererentur ullam clementiam & perirent, ſicut præceperat Dominus Moyſi. *Joſue* 11. 18

Oculi enim Domini contemplantur univerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. 2. *Paral.* 16. 9. Job 28. 24

Oculi enim ejus (*Dei*) ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. *Job* 34. 21

Ego autem in te ſperavi Domine: dixi: Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. *Pſalm.* 30. 15

Beata gens, cujus eſt Dominus Deus ejus; populus quem elegit in hereditatem ſibi. De cælo reſpexit Dominus: vidit omnes filios hominum --- Qui finxit ſigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum. *Ibid.* 32. 12

Oculi Domini ſuper juſtos: & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala; ut perdat de terra memoriam eorum. *Ibid.* 33. 16. *Vide totum Pſalmum.*

Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in divitiis ejus; Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Revela Domino viam tuam, &

ſpera

ſpera in eo : & ipſe faciet . *Pſalm. 36. 3. Vide totum Pſalmum .*

Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem juſto, &c. *Pſalm. 54. 23.* Ib. *106. 6*

Deus judex eſt. Hunc humiliat, & hunc exaltat. *Ibid. 74.* 8

Intelligite inſipientes in populo: & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Qui corripit gentes, non arguet; qui docet hominem ſcientiam? *Ibid. 93.* 8

Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum. *Ibid.* 102. 13

Omnia a te ( *Deus* ) exſpectant, ut des illis eſcam in tempore. Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur, &c. &c. Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ. *Ibid.* 103. 27. Pſalm. 135. 25

*Deus ſuſcitat* a terra inopem, & de ſtercore *erigit* pauperem. *Ib.* 112. 7. *Vide &* Pſalm. 137. 6.

Allevat Dominus omnes qui corruunt; & erigit omnes eliſos. *Ibid.* 144. 14

Oculi omnium in te ſperant Domine: & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Ibid.* v. 15

Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & ſalvos faciet eos. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe: & omnes peccatores diſperdet. *Ibid.* 14418. *Vide & totum* Pſal. 145. & 146

Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus ejus conſiderat. *Prov.* 5. 21. c. 20. 24

Sortes mittuntur in ſinum, ſed a Domino temperantur. *Ibid.* 16. 33

Oculi Domini ad timentes eum, & ipſe agnoſcit omnem operam hominis. *Eccli.* 15. 20

Numquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non oblivifcar tui, &c. *Iſa.* 49. 15. Cap. 54. 16

Quis eſt iſte, qui dixit ut fieret, Domino non jubente? *Thren.* 3. 37

*Non eſt* malum in civitate, quod Dominus non fecerit. *Amos* 3. 6

Nonne duo paſſeres aſſe veneunt: & unus ex iſtis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos. *Matt.* 10. 29

In ipſo enim ( *in Deo* ) vivimus, & movemur, & ſumus. *Actor.* 17. 28

Quia oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini ſuper facientes mala. Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? 1. *Petr.* 3. 12.

Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum ( *Deum* ) quoniam ipſi cura eſt de vobis. *Ibid.* 5. 7. Matt. 6. 25. Luc. 12. 22

*Providentia Dei etiam ad res minimas extenditur.*

DOmine in cælo miſericordia tua: & veritas tua uſque ad nubes. *Pſal.* 35. 6. Homines & jumenta ſalvabis Domine: quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Ibidem verſ. 8.

Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex iſtis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro. *Matt.* 10. 29

*Providentia Dei æquitas in remunerationem bonorum.*

NIhil in terra ſine cauſſa fit. *Job* 5. 6

Sed omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. *Sap.* 11. 21

Volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? *Matth.* 20. 14

*In punitione malorum.*

ECce, Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legiſlatoribus. *Job* 36. 22

Non enim eſt alius Deus, quam tu, cui cura eſt de nobis, ut oſtendas quoniam non injuſte judicas judicium. *Sap.* 12. 13. Cum ergo ſis juſtus, juſte omnia diſponis --- Virtus enim tua juſtitiæ initium eſt. Ib. v. 15. & 16

Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, a quo trahitur? quomodo ſi elevetur virga contra elevantem ſe, & exaltetur baculus, qui utique lignum eſt. *Iſa.* 10. 15

*Imperſcrutabilitas ob tribulationem bonorum.*

UNum eſt quod locutus ſum, & innocentem, & impium ipſe conſumit. *Job* 9. 22

Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt ſub ſole; & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire. *Ecclef.* 9. 17

Mei autem pene moti ſunt pedes: pene effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns, &c. &c. *Pſalm.* 72. 2. *Vide totum Pſalmum ex aſſe ad hanc materiam .*





Sunt juſti atque ſapientes: & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſervantur incerta, eo quod univerſa æque eveniant juſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & ſacrificia contemnenti; ſicut bonus, ſic & peccator: ut perjurus, ita & ille qui verum dejerat. *Ecclef.* 9. 1. Hoc eſt peſſimum inter omnia quæ ſub ſole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. *Ibid.* v. 3

Uſquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſalvabis? *Habac.* 1. 2. Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Quare reſpicis ſuper iniqua agentes: & taces devorante impio juſtiorem ſe? v. 13

*Et proſperitatem malorum.*

VErumtamen quia non ſunt in manu eorum bona ſua, conſilium impiorum longe ſit a me. *Job* 21. 16. *Vide totum caput.*

Quid gloriaris in malitia? *Pſalm.* 51. 1

Et erue me de manu filiorum alienorum --- Quorum filii ſicut novellæ plantationes in juventute ſua. Filiæ eorum compoſitæ --- Promptuaria eorum plena --- Oves eorum fetoſæ --- Non eſt ruina maceriæ --- Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt; beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. *Ibid.* 143. 11

Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus impium quoque ad diem malum. *Prov.* 16. 4

Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: Juſtus perit in juſtitia ſua, & impius multo vivit tempore in malitia ſua. *Ecclef.* 7. 16

Altiora te ne quæſieris --- Non eſt enim tibi neceſſarium, ea quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. *Eccli.* 3. 22

Juſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: verumtamen juſta loquar ad te: Quare via impiorum proſperatur: bene eſt omnibus, qui prævaricantur & inique agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt: proficiunt, & faciunt fructum: prope es tu ori eorum, & longe a renibus eorum. *Jerem.* 12. 1

Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, & dixiſtis: In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent; aut certe, ubi eſt Deus judicii? *Malach.* 2. 17

*Providentiæ divinæ exempla.*

E*Luxit hæc miro modo, dum Noe cum tota ſua familia, & omnibus animantibus Deus conſervavit in arca ab univerſali diluvio, quam ſuper aquas direxit, & demum requieſcere fecit ſuper montes Armeniæ.* Geneſ. cap. 7. & 8. c. 8. 4

*Abraham ſe totum commiſit divinæ Providentiæ, dum juſſus fuit exire de terra ſua, & deinde cum Deus illi præcepit immolare filium unigenitum, in quo tamen illi fuit promiſſa innumerabilis poſteritas.* *Ibid.* 12. 1. & *Cap.* 22. 1

*Permiſit Deus Joſeph Patriarcham vendi a fratribus, & in Ægyptum perduci, ob illum finem, quem Joſeph ipſe indicat his verbis, allocutus fratres:* pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum, &c. *Gen.* 45. 5. Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me --- & ſalvos faceret multos populos. *Item* cap. 50. 20

*Moyſes parvulus flumini in fiſcella expoſitus, Deo dirigente invenitur a filia Pharaonis, & ignotæ feminæ, quæ ipſa Moyſis erat mater, ad nutriendum traditur.* Exod. 2. 1. Actor. 7. 22

*Filiis Iſrael per quadraginta annos in deſerto pluit Manna & coturnices ad manducandum, & aquam de petra abundantem ad bibendum Moyſes eduxit.* Ibid. 16. & 17

*Eorumdem veſtimenta toto illo tempore* non ſunt attrita --- *neque* calceamenta --- vetuſtate conſumpta ſunt. *Deut.* 29. 5

*Item nullus eorum per totum iter unquam ægrotavit.* Pſal. 104. 37

*In ſumma Moyſes ait:* Novit ( *Deus* ) iter tuum quomodo tranſieris ſolitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit. *Deut.* 2. 7. *Vide &* cap. 8. *per totum.*

*Saul, dum aſinas patris ſui perditas quærit, ungitur in regem Iſrael.* 1. Reg. 9. 1

*Paſſim legitur, quomodo David inter omnes perſecutiones, quas paſſus eſt a Saul & proprio filio Abſalom, mire ſemper a divina Providentia fuit protectus.* 1. Reg. & 2. Reg.

*Elias cælum triennio claudit, primumque paſcitur a corvis, deinde a muliere Sareptana, cujus hydria farinæ & lecythus olei non minuuntur.* 3. Reg. 17

*Eidem Eliæ, cum fugeret furorem inſidiantis Jezabel, & in deſerto nihil haberet, quod manducaret & biberet, Angelus Domini attulit panem & aquam.* Ibid. 19. 1

*Eliſeus viduæ debitis oppreſſæ oleum impetrat, quo ſolvat creditoribus.* 4. Reg. 4. 1

*Eliſeus idem centum homines viginti panibus hordeaceis pavit, & multum ſuperfuit, obſtupeſcente Giezi famulo. Ibid. v. 42. Vide ſimile de Chriſto* Joan. 6. 1. Marc. 8. 1